

## TRACTATUS III.

# DE CONSCIENTIA

S. Alf. lib. I. H. A. tr. I.

63. — Principia moralitatis actuum humanorum sunt, iuxta dicta in tractatu praecedenti: obiectum, circumstantiae et finis, *prout haec subsunt regulae morum*. Quam ob rem, agendum iam est de *regula morum*, et quidem prius de regula morum *interna* et *subiectiva*, seu de *conscientia*. Idque tam de quidditate eius quam de proprietatibus conscientiae quae sit sufficiens norma agendi, nempe de eius veritate et certitudine. Hinc dicemus: 1º de *conscientia in genere*, 2º de *conscientia vera et erronea*, 3º de *conscientia certa et dubia*. Quia vero specialis adest difficultas, quomodo habeatur conscientia sufficienter certa ex opinione probabili, ideo adiungemus distinctum caput de hac materia et agemus 4º de *usu opinionis probabilis*.

### CAPUT I.

#### CONSCIENTIA IN GENERE

64. — **Notio.** Conscientia est iudicium seu dictamen rationis practicum, ostendens quid hic et nunc agendum sit ut bonum, aut vitandum ut malum.

Dicitur: 1º *Iudicium seu dictamen*: nam non quicunque actus intellectus est conscientia sed actus iudicativus dumtaxat.

2º *Practicum*: quia actiones singulares dirigit. Iudicium enim aliud est speculativum aliud practicum. *Speculativum*, quod generatim pronuntiat de veritate, seu quod generatim dictat aliquid esse bonum vel malum, v. g. infirmos excusari a pracepto ieunii; *practicum*, quod veritatem cognitam ordinat ad opus hic et nunc ponendum seu quod in casu particulari dictat quid hic et nunc ac in talibus circumstantiis sit faciendum vel omittendum, v. g. talis infirmus nunc non debet ieunare (S. Thom. I. qu. 79. a. 11.)<sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> *Iudicium speculativum* aliquando dicitur *speculativo-practicum*, quando pro obiecto habet regulas agendi generales, ad opus applicabiles. Cfr. S. Thom. I. qu. 14. a. 16. *Iudicium conscientiae* vocatur etiam *practico-practicum*, quatenus regulas generales applicat ad opus hic et nunc ponendum. Imo, dicendum videtur *practico-practicum* etiam hoc sensu quod non mere cognoscitive versetur circa tale opus, ita ut etiam in actu bono distinctum esset a judicio ultimo *practico*, sed quod sit ipsum ultimum *iudicium practicum applicativum* seu *directive*, immediate antecedens electioni voluntatis. Quodsi operatio de facto non sequatur, tamen virtute *iudicium manet applicativum* ad opus. Cfr. Jo. a. S. Thom. in I. 2. qu. 18-21. disp. 12. n. 14. — Hinc minus placent ea quae habet Noble in *La Conscience morale et Rev. des Sciences phil. et théol.* 1921. p. 569, secundum quae conscientia unice cognoscitive versaretur circa opus in particulari ponendum. Cfr. etiam Renz. apud period. *Div. Thom.* 1925. p. 106.

3º *Quid hic et nunc agendum aut vitandum*: quia quamvis conscientia respiciat etiam praeterita, quatenus accusat male facta et approbat recte facta, nos tamen disserimus dumtaxat de conscientia prout est *regula agendorum*.

4º *Quid agendum sit ut bonum aut vitandum ut malum*: conscientia enim est ille actus intellectus qui de actionis honestate pronuntiat.

**64 bis.** — Notandum circa habitudinem conscientiae ad synderesin et scientiam moralem: atque ad prudentiam. *Synderesis* est habitus naturaliter inditus, quo prima agendorum principia legis naturalis cognoscimus, e. g. bonum est faciendum, malum fugiendum; Deus est colendus; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. *Scientia moralis* est habitus acquisitus, quo homo ope ratiocinationis conclusiones generales seu principia secundaria deducit a primis principiis, e. g. Deus est colendus: atqui blasphemia Deum inhonoret: ergo blasphemia est fugienda. *Conscientia* vero est actus, quo homo principia syndereseos et conclusiones generales scientiae applicat ad casus particularares (n. 2; S. Thom. I. qu. 79. a. 12.)

*Prudentia* est habitus sive acquisitus sive infusus perficiens intellectum practicum ad *recte*, idest convenienter virtuti, dirigendum appetitum in iis quae sunt ad finem, applicando principia ad operationes particularares; quare brevi etiam definitur: *recta ratio agibilium*. Actus eius sunt: consilium, iudicium et imperium;<sup>1)</sup> ex hisce autem duo priores concurrunt ad rectam formationem conscientiae, quippe quae praecise in *iudicio* de hic et nunc agendo ut bono vel vitando ut malo, a. v. in *iudicio* de operationibus particularibus sub respectu rectitudinis moralis consistat.<sup>2)</sup>

Ergo ad *recte* formandam conscientiam synderesis, scientia moralis, *casuistica* prae-  
sertim,<sup>3)</sup> et prudentia concurrunt.

**65. — Divisio.** 1º Respectu *objecti* alia est conscientia *vera* seu *recta*, quae dictat quod verum et rectum est in se; alia *erronea*, quae dictat falsum tamquam verum; est autem *erronea* vel *invincibiliter* vel *vincibiliter*, quemadmodum supra n. 42 de *ignorantia* diximus. (n. 3.)<sup>4)</sup>

Ad conscientiam *erroneam* reducuntur: a) conscientia *perplexa*, quae apprehendit peccatum in utroque termino, nempe sive agatur sive non agatur; b) *scrupulosa*, quae potius est status mentis vi cuius quis facile ex levibus motivis iudicat aut timet actionem esse malam; c) *laxa*, quae potius est status mentis vi cuius quis facile ex levibus momentis iudicat non esse malum, quod revera malum est, aut leve malum esse, quod grave est.

2º Respectu *subiecti* distinguitur conscientia: a) *certa*, quae excludit prudentem et stricte dictam dubitationem, et est certa certitudine aut stricte aut late dicta seu opinativa. — Prior habetur quum conscientia

<sup>1)</sup> Cfr. infra n. 283; S. Th. 2. 2. qu. 47. a. 3.

<sup>2)</sup> Imo, ipse actus iudiciae prudentiae videtur esse actus conscientiae, iuxta dicta n. 64. in nota. Cfr. Joh. a S. Thom. I. c. n. 16. Beaudouin-Gardeil. de *Consc.* p. 9.

<sup>3)</sup> Casuistica vocatur ea pars scientiae moralis, quae principia generalia multis casibus particularibus accommodat.

<sup>4)</sup> Aliqui conscientiam *rectam* distinguunt a conscientia *vera*. Ipsa conscientia recta ea est quae formatur iuxta regulas prudentiae, conscientia *vera*, quae dictat quod *objective* secundum regulas morum est. Hinc etiam conscientia *invincibiliter* *erronea* ipsa est *recta*, quamvis non sit *vera*. Notes autem conscientiam *invincibiliter* *erroneam* dici tamen *practice* *veram*: veritas enim *practica* consistit in conformitate cum appetitu recto seu voluntate bene disposita in ordine ad bonum honestum. Talis autem conformitas etiam in conscientia *invincibiliter* *erronea* invenitur.

*sine errandi formidine*, saltem rationabili, aliquid licitum vel illicitum esse dictat; non excludit ergo necessario possibilitatem, sed prudentem saltem formidinem erroris tantum. Altera habetur, quum conscientia ex gravi fundamento iudicat quidem aliquid licitum vel illicitum, attamen *cum prudenti formidine erroris*. — b) *Dubia*, quae suspendit iudicium inter utramque partem, neutri assentiendo vel dissentiendo; haec revera conscientia non est, cum nullum iudicium proferat.

## CAPUT II.

## CONSCIENTIA VERA ET ERRONEA

*Articulus I.*

## Conscientia vera.

66. — **Principia. I.** *Debemus INQUIRERE VERITATEM in rebus moralibus, ut iudicia nostra legi Dei conformia sint:* nam debitum faciendi includit obligationem sciendi, cum nemo possit obligationes suas implere, nisi ipsas cognoscat.

II. *Tanta vero DILIGENTIA in inquisitione veritatis impendenda est, quantam rei gravitas exposcit, quamque homines cordati ac prudentes in rebus magni momenti adhibere solent;* verumtamen haud requiritur ut haec diligentia extraordinaria sit, modumque agendi humanum excedat.

III. *Veritati certo cognitae CONFORMANDA esse opera nostra nemo non videt:* quid vero agere debeamus quandocumque veritatis notitiam assequi non possumus, infra n. 102 exponemus. (n. 173. v. Verum enim.)

*Articulus II.*

## Conscientia erronea.

67. — **Principia. I.** *Conscientia INVINCIBILITER errans, si praecipiat aut prohibeat, obstringit ut sibi obediatur; si permittat, eximit a peccato formalis.* Ratio prioris partis est quia formalis bonitas vel malitia voluntatis pendet ex obiecto, non secundum quod in se est, sed prout a ratione apprehenditur, ideoque agere contra dictamen rationis apprehendentis actionem vel tamquam praeceptam, vel tamquam prohibitam, peccatum constituit.

Et hinc patet altera pars, quod dictamen illud sequendo dum permittit, homo non peccet; imo opus formaliter bonum et, si est in statu gratiae, meritorium peragit. (n. 5-7; 174. v. Quapropter.)

II. *Nec contra conscientiam prae scriptivam vel prohibitivam nec iuxta conscientiam permissivam VINCIBILITER errantem operari licet.* Ratio prioris patet ex dictis, quia non licet contra conscientiam agere. Ratio posterioris est, quia error est vincibilis; idcirco tenetur homo diligentiam adhibere, ut ignorantiam tollat vel invincibilem reddat. Secus enim operando sese temere exponit periculo peccandi, quum advertat ad obligationem ulterioris inquisitionis antequam agat, et nihilominus sine tali inquisitione procedat. Temere autem se exponere periculo peccati utique peccatum involvit. (n. 4.)

68. — **Resolutiones.** 1º Qui certas locutiones male sonantes existimant veras esse blasphemias, dum revera non sunt, graviter peccant illas proferendo contra secundum decalogi praeceptum; ob erroneam conscientiam.

2º Si cui conscientia dictat se teneri ad mentendum ut proximo periclitanti subveniat, peccat contra caritatem, si non mentitur. (n. 6.)

3º Qui putat, sed ex errore vincibili, sibi furandum esse a divite, ut succurrat egenti, peccat sive cum eiusmodi conscientia furatur, quia ignorantia vincibilis non excusat a peccato, sive non furatur, quia agit contra conscientiam. Debet itaque ante actionem, si fieri possit, errorem deponere inquirendo veritatem.

69. — **Quaeritur** hoc loco, num peccet ille, qui ex conscientia erronea putat se peccare omittendo praeceptum, quod implere physice nequit, aut patiendo malum, quod vitare nequit.

*Resp. Negat.:* quia neutrum est voluntarium; quapropter dictamen illud erroneum nequit efficere quod talis omissione vel passio ipsi tamquam peccatum imputetur; propterea dicitur falsum esse speculative, non practice, siquidem non influit in actum. Hinc non peccat ignarus, etiamsi peccare se credat, dum impotens omittit audire Sacrum in die festo; dum involuntarias patitur distractiones in oratione, vel nocturnas pollutiones in somno.

### *Articulus III.*

#### **Conscientia perplexa.**

70. — **Notio.** Conscientia perplexa oritur, quando quis inter duo praecepta constitutus peccare se credit, quamcumque eligat partem, v. g. aliquis domi habens infirmum, die festo putat se peccare contra praeceptum caritatis, si relinquat infirmum ad Missam audiendam: aut contra Ecclesiae praeceptum, si Missam non audiat.

**Normae agendi pro perplexo.** 1º Si possit actionem suspendere, tenetur illam differre, donec consulat sapientes; quia versatur in ignorantia vincibili.

2º Si differre nequeat, sed necessitas agere compellat, tenetur eligere quod sibi minus malum videtur, vitando potius transgressionem iuris naturalis, quam positivi, divini potius quam humani. Ratio, quia homo facit quantum potest in tali necessitate; proinde non peccat.

3º Si minus malum discernere nequeat, utramcumque partem eligat, non peccat; quia nemo necessitate peccat; deest quippe in huiusmodi eventu libertas ad peccatum formale necessaria. (n. 10.)

Nihil refert, quod perplexus, qui consilium capere nequit, erronee existimet se in omni eventu peccare; quia peccatum non sequitur solum iudicium intellectus, sed liberae voluntatis actum.

#### *Articulus IV.*

#### **Conscientia scrupulosa.**

71. — **Notio.** Scrupulus dicitur inanis formido de peccato, ubi peccatum non est; ut inde excitetur in animo anxietas et inquietudo. Scrupulosus vocatur, qui scrupulis frequenter vexatur. Hinc conscientia scrupulosa ille status mentis dicitur, vi cuius quis facile ex levibus motivis iudicat aut timet actionem esse malam.

**Principia.** I. *Licet, imo oportet, contra scrupulos agere.* 1º *Licet:* quia scrupulus non habet prudens et rationabile fundamentum, ideo stare potest cum practica certitudine de actionis honestate, formando iudicium illi contrarium per principia externa, maxime ex confessarii auctoritate. 2º *Oportet:* quia scrupulus est irrationalis conscientiae timor, et scrupulositas ingentia damna tam corpori quam animae affert. (n. 18)

II. *Primarium ac ferme unicum ad scrupulos abigendos REMEDIUM est prompta et submissa obedientia erga confessarium aut spiritualem directorem.* Ratio est, quia scrupulosus minime idoneus est qui seipsum dirigat, cum oculos mentis habeat nubibus obtectos levibusque de causis frequenter perturbatos, ideoque rectum de rebus iudicium ferre nequeat; quapropter necesse est ut illius iudicio obsequatur, qui nomine Dei eius conscientiam dirigit. Inde consequitur, scrupulosum, qui ad obediendum animo paratus non est, curationis incapacem esse. (n. 12.)

72. — **Signa scrupulosa conscientiae.** Praecipua sunt: 1º Pertinacia iudicii, qua quis confessarii vel sapientium consiliis parere renuit, varios consulit, sed nullius iudicio acquiescit, imo quo plures audit, eo perplexior evadit.

2º Frequens iudicii mutatio ex quacumque levi conjectura vel apparentia, ita ut e. g. eamdem actionem modo licitam, modo illicitam habeat; unde oritur inconstans in agendo. Item frequens mentis perturbatio, praesertim in operationibus externis, puta in Missae celebratione, Officii recitatione, Sacramentorum administratione vel susceptione.

3º Reflexiones ineptae circa plures ac minutiores circumstantias, quae in actione adfuerunt, vel adresse potuerunt, cuiusmodi vix in aliorum mentem veniunt.

4º Timor peccandi in omnibus, et mentis haesitatio, contra sapientium imo et proprium iudicium; inde repetita confessarii interrogatio an agendo secundum consilium suum conscientia immunis a culpa esse possit. (n. 11.)

5º In confessione minutissimas, imo insanas peccatorum circumstantias explicare, multas nugas tamquam peccata narrare, nec confessario monenti ut hisce supersedeat, acquiescere; circa confessiones morali diligentia factas numquam securum esse, easdem saepe ex integro vel ex parte velle repetere.

6º Anxie precari, saepe subsistere ad renovandam intentionem et attentio- nem et saepe easdem preces repetere, maxime si cadunt sub pracepto, ut sunt horae canonicae, poenitentia sacramentalis, preces Missae celebrandae.

*Ad haec tamen advertas velim:* a) Conscientia scrupulosa confundenda minime est cum *tenera*, quae sapienter timet minima etiam, sed vera peccata: haec omnibus summopere exoptanda est.

b) Scrupulosis adnumerandi non sunt illi, qui a licentiori vita tandem sincere conversi, aliquamdiu anguntur circa confessiones praeteritas; huiusmodi quippe salutaris est sollicitudo, dummodo ad breve tempus, tum ad mundandam conscientiam diuturna peccando consuetudine irretitam, tum ad concipiendum horrorem a peccato, tum ad pravam consuetudinem efficacius vincendam.

c) Contingit quosdam in certis materiis scrupulosos esse, v. g. in Officii recitatione, in confessionis integritate, in aliis vero plane laxos. Tales cautissime tractandi sunt, ut liberentur a scrupulis, quin fraena eis laxentur; quamobrem remedia et regulae infra explicanda iis applicanda non sunt, nisi in materia, in qua scrupulosi sunt.

73. — **Causae scrupulorum.** Quaedam sunt *internae naturales*, nempe temperies melancholica, indeoles timida ac pusillanimis, mentis debilitas atque iudicii inopia aegritudo psychica seu psychasthenia<sup>1)</sup>: quaedam sunt *internae vitiosae*, nempe ignorantia, superbia, obstinatio, inconstantia. Quaedam sunt *externae*, nimirum cum scrupulosis conversatio; educatio angusta, quae animum deprimit; directio confessarii scrupulosi; lectio librorum nimis terrentium; daemonis instigatio; permisso Dei, propter bonos fines, v. g. in peccatorum castigationem, ad humilitatis et patientiae exercitium, ad temorem excutiendum, ad animum magis purgandum, ad ingerendum maiorem a peccato horrorem. Quando sunt a Deo, diu durare non solent.

74. — **Damna scrupulorum.** Sunt cumprimis sequentia: 1º Iugis ex illis oritur animi perturbatio et afflictio. 2º Offendicula opponunt animae in virtute progressui. 3º Praecludunt aditum consolationibus Spiritus Sancti, quibus dilatum cor viam mandatorum facilius et promptius currat. 4º Generant ariditatem spiritus, atque animam afflictione pertaesam ab oratione removent, gravia et importabilia reddendo omnia pietatis ac devotionis opera, ita ut vel omittantur, vel multis defectibus conspersa perficiantur. 5º Labefactant saepenumero corporis valetudinem, caput praesertim enervant. 6º Exponunt non raro magno periculo vel insaniendi, vel in varia peccata lethalia prolabendi, sive impudicitiae, sive desperationis, sive blasphemiae, sive suicidii; anima enim iugi afflictione confecta omniq[ue] divina unctione ob indocilitatem suam privata, facile trahi potest, aut ad levamen sibi illecebris carnalibus procurandum, aut ad lamentationes blasphemias contra Deum proferendas, aut ad omnia fraena sibi

<sup>1)</sup> Cfr. dicta supra n. 45. V. 2º.

indiscrete imposita ita excutienda, ut desperatione abducta cunctis se dedat vitiis, et tandem mortem sibimet inferat. (n. 13.)

**75. — Remedia scrupulorum.** Exposito morbo, exponenda sunt et remedia. Potissima sunt: 1º Humilis ad Deum supplicatio, frequentesque actus confidentiae in Ipsum, ad obtinendam conscientiae tranquillitatem. — 2º Simplex et caeca obedientia docto, pio et prudenti confessario; hoc est omnium maxime necessarium remedium, sine quo nihil omnino proderunt alia quaecumque. Caveat autem scrupulosus, ne ab uno confessario ad alium discurrat, sed constanter eundem habeat, cui penitus perspecta sit eius conscientia. — 3º Fuga otii, ita ut daemon scrupulosum semper occupatum inveniat. — 4º Simul ac scrupulus menti se offert, ab eo mentem avertere alioque convertere. — 5º Non disputare intra se de scrupulis, rationes illis opponendo, sed omnem dubitationem firmiter deponere, secundum regulas a directore praescriptas. — 6º Procurare ut radix scrupulorum evellatur; si nempe est melancholia, animum levando moderatis et honestis solatiis; si superbia, se humiliando; si obstinatio, iudicium abnegando; si timiditas, in Deum confidendo; si ignorantia, instructionem procurando; si libri vel conciones terrentes, eos vitando etc. (n. 12. *Prax. Conf.* n. 96.)

**76. — Regulae ad dirigendam conscientiam scrupulosorum.** Hasce fere tradunt omnes Doctores: 1º Confessarius scrupulosum adigat *ad sibi fideliter parendum, obedientiam caecam et simplicem exposcendo*: quapropter paucis et asseveranter resolvat eius dubia, quin multum distinguat, nec responsi rationem reddat; dubia porro in partem benignorem interpretetur. Quin etiam in casu, quo de dato responso postmodum dubitaret, dubitationem nullatenus poenitenti manifestet, sed perget, ne poenitens fiduciam amittat. Quod si poenitens non obedit, confessarius obiurget et castiget eum, eiusque duritiem omnimodo retundat; quamvis enim confessarius cum scrupulosis suavis esse debeat, circa obedientiam nihilominus fortis sit, cum haec unicum sit eorum remedium.

Ut autem obedientiam suadeat, inculcat illis haec duo: primo, *tutum incedere, qui confessario obtemperat in omnibus, in quibus manifestum peccatum non appareat, etiamsi is erraret*; quia haec est voluntas Dei dicentis apud Aggaeum, II. 12: «Interroga sacerdotes legem», et apud Luc. x. 16: «Qui vos audit, me audit;» et ita tradunt omnes Doctores; secundo, *de sola inobedientia scrupulum sibi ingredendum esse*, propter summam obedientiae necessitatem.

2º Causas et obiectum, quoad fieri potest, scrupulorum poenitentis exploret, ut apponat remedia respective requisita.

3º Tradat scrupuloso *regulas quasdam generales ad dubia deponenda*; quia *particularibus* scrupulosus expedire se non valet. Quapropter prohibeat ipsi frequens ad directorem recursus, sed iubeatur regulas acceptas constanter applicare. Huiusmodi regulae generales variant pro diversa scrupulorum materia.

Unde: a) Si scrupulus versatur circa *agenda*, quia scrupulosus in omni actione peccare formidat, iubeat eum libere operari, quoties prima fronte non advertit evidens esse peccatum, et prohibeat de hisce in confessione sese accusare. Quocirca tradat illi haec principia: eum, qui bona fide procedit animo placendi Deo, si mediocrem diligentiam adhibeat, practice non errare; item, in rebus moralibus omnimodam certitudinem non esse querendam; dubitationem, quae in aliis fortasse rationabilis esset, in scrupuloso pro nihilo esse aestimandam; unde

licet ipsum materialiter interdum errare contingat, formaliter non peccare; denique, in dubiis, bonorum vitam aliorum regulam esse debere, et tanto magis quanto meliores sunt.

b) Si scrupulus versatur circa *pravas cogitationes*, quibus se consensisse semper timet, est regula omnium, ubi non fuerit evidentissimus consensus, non esse quod timeatur (agimus enim de iis, qui alioquin firmum habent animum numquam peccandi mortaliter), neque metuendum esse propter diuturnitatem aut vehementiam delectationis; nam haec materialia sunt et involuntaria, et interdum ex timore postea maiora apparent quam revera fuerint. Quapropter compellat confessarius scrupulosum, ut scrupulos viriliter contemnat, neque de hisce cogitationibus confiteatur.

c) Si scrupulus versatur circa *confessiones praeteritas*, an sufficienter confessus sit necne, regula est, quod si mediocrem diligentiam adhibuit, potest securus esse. Quare prohibeat illi ne amplius deliberate cogitet de culpis praeteritis, nec eas confiteatur, nisi certo sciat eas fuisse mortales, nec umquam se illas confessum fuisse; sed tantummodo veniam a Deo humiliter petat. Imo aliquando potest quis tantopere scrupulis angi, ut, licet ei certum videatur se aliqua peccata mortalia confessum non esse, tamen ab integritate confessionis excusetur, ob periculum nempe perpetuo haerendi in eiusmodi anxietate et ob grave damnum inde ipsi oriturum.

4º Prohibeat poenitenti *longum conscientiae examen*, praescribatque mediocre, imo quandoque brevissimum. De iis porro, circa quae magis vexatur, interdicat omne examen.

5º Ad Sacramentorum piam frequentationem sollicitet. Quod si scrupulus retrahat, ad eam omnino compellat, iubeatque omnino scrupulos vincere.

6º Ne austерum se praеbeat afflito; esset enim eidem addere afflictionem, si, dum ad remedium accedit, novam afflictionem subire cogeretur; et, si quandoque cum illo severe tractare opus fuerit, id agat tamen, quin confidentiae aditum tollat, quem semper christiana caritas apertum esse postulat.

7º Scrupulo, qui continue angitur in recitatione precum, prohibeat ne quidquam repetat. Imo clero in Sacris, qui graves patitur anxietates in Officii recitatione, potest aliquando eadem interdici; cum magnum incommodum excuset a praecepsit Ecclesiae. (n. 12-19. Lib. 4. n. 177. in fine. Prax. Conf. n. 95-98.)

De hac materia confer etiam Aertnys, *Theol. past. n. 178, seqq.*

### *Articulus V.*

#### *Conscientia laxa.*

76<sup>ta</sup>. — **Notio et causae conscientiae laxae.** Conscientia laxa dicitur ille status mentis vi cuius quis facile ex levibus momentis iudicat non esse malum quod revera malum est, aut leve malum esse quod grave est. — Praecipuae eius causae sunt: defectus iudicii, instructionis et, in clericis, neglectus studii S. Theologiae Moralis; prava educatio; frequentatio personarum parum christianarum; impetus passionum; pravi habitus; status temporis.

**Damna conscientiae laxae.** Conscientia laxa saepe *vincibiliter* erronea est, saltem in causa; quo casu a peccato formalis non excusat. Sed etiam si sit *invincibiliter* erronea, plura damna secum fert. Semper peccatum materiale adeoque obiective veram deordinationem involvit; facile scandalum praebet; demum saepe periculo exponit formaliter peccandi ob difficultatem habitum semel contractum deponendi, postquam quis eius pravitatem perspexerit.

**Remedia conscientiae laxae.** Habentur: humilis oratio ad lumen Spiritus Sancti obtinendum; serium totius animi status examen; exercitia spiritualia; consultatio virorum doctorum simul atque piorum; passionum refraenatio, etc.

### CAPUT III.

## CONSCIENTIA CERTA ET DUBIA

### *Articulus I.*

#### Conscientia certa.

77. — **Notio certitudinis.** Certitudo proprie est firma mentis adhaesio alicui propositioni, absque erroris formidine, saltem prudenti. Adhaesio autem illa est certitudo *subiectiva*, quippe quae in subiecto propositioni adhaerente inveniatur. Certitudo vero *objictiva* est ipsa propositio, quatenus continent fundamentum certitudinis subiectivae.

**Divisio.** 1º Ratione GRADUS triplex est: *metaphysica*, quae excludit omnem errandi possibilitatem: huiusmodi est certitudo tum primorum principiorum, tum conclusionum, quae ex ipsis immediate eruuntur, tum fidei divinae, seu eorum quae expresse a Deo revelata sunt, aut ex iis evidenter colliguntur. — *Physica*, quae secundum naturae leges excludit errandi possibilitatem, at non repugnat quod aliter se habeat per miraculum; hac certitudine gaudent ea omnia, quae certo sensuum experientio nobis innotescunt. — *Moralis*, quae secundum leges morum seu inclinationum hominum sine portento in ordine morali errandi possibilitatem excludit; hoc sensu v. g. certum est matrem filii suis venenum non daturam.

Praeter hos tres gradus certitudinis qui sive absolute, ut certitudo metaphysica, sive conditionate, ut physica et moralis, erroris possibilitatem excludunt, datur adhuc alia quaedam certitudo, quae possilitatem errandi nullatenus excludit. Vocatur *certitudo probabilis*, quum argumentis non evidentibus, sed probabilibus tantum innitatur; vel etiam *moralis*, quatenus sufficiens est in actibus moralibus ut inde regula moralitatis sumatur. Est autem duplex: prior est certitudo probabilis vel moralis

*stricta*, quae tanta probabilitate innititur, ut auferat omnem prudentem erroris *formidinem*; est adhuc vera certitudo, quia *firmum* assensum intellectus includit. — Altera est certitudo probabilis vel moralis *lata*, seu *opinionis proprie dictae*, quae quidem prudentem et stricte dictam dubitationem, non vero omnem prudentem erroris formidinem aufert. Non est vera certitudo, quia assensum *infirmum* tantum admittit. Est status quidam medius intra veram certitudinem et dubium strictum. Talis certitudo habetur in sententia probabilissima et unice probabili; imo, in praesenti materia, etiam aequivalenter saltem invenitur in sententia certo vel notabiliter probabili ac apposita, ut infra magis patebit.<sup>1)</sup> Infra certitudinem stricte dictam et opinionem non habetur nisi suspicio et dubium sensu proprio sumptum, de quibus infra n. 79 dicetur.

Triplex ille status sic praeclare describitur ab Angelico: « Intellectus noster... respectu partium contradictionis se habet diversimode. Quandoque enim non inclinatur magis ad unum quam aliud, vel propter defectum moventum, sicut in illis problematisbus de quibus rationes non habemus, vel propter apparentem aequalitatem eorum quae movent ad utramque partem; et ista est *dubitantis* dispositio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis. Quandoque vero intellectus inclinatur magis ad unum quam ad alterum; sed tamen illud inclinans non sufficienter movet intellectum ad hoc quod determinet ipsum in unam partium *totaliter*, unde *accipit* quidem unam partem, tamen semper dubitat de opposita; et haec est dispositio *opinantis*, qui *accipit* unam partem contradictionis cum *formidine* alterius. Quandoque vero intellectus... determinatur ad hoc quod *totaliter* adhaereat uni parti;... » (*de veritate qu. XIV. a. 1.*)<sup>2)</sup>

2º Ratione OBIECTI alia est *speculativa*, quae spectat rei veritatem in se, alia *practica*, quae spectat honestatem actionis hic et nunc exercendae.

3º Certitudo practica ratione DEDUCTIONIS subdividitur in *directam*, quae ex directis argumentis deducitur; et *reflexam*, quae a principiis reflexis derivatur. Argumenta *directa* vocantur momenta rationis vel auctoritatis, quibus veritas aliqua particularis probatur: principia *reflexa* nuncupantur quaedam regulae generales, quae particularem veritatem non probant, *certum* tamen faciunt quid practice nunc agendum aut omittendum sit; ideoque *reflexa* appellantur, quod super incertitudinem *directam* veluti *reflectant*, certoque ostendant quid agere quidve oporteat aut liceat.

<sup>1)</sup> Certitudo moralis quae non excludit *possibilitatem* errandi, vocatur etiam certitudo prudentialis vel probabilis, quum non totali rei evidentia, sed partiali tantum, seu probabilitate nitatur. Immerito haec denominatio tribueretur certitudini morali illi quae errandi possibilitem hypothetice excludit; merito vero applicatur certitudini morali etiam late dictae. Certitudo haec late dicta vocatur simpliciter opinio; illa vero certitudo quae excludit non possibilitem, sed *formidinem* errandi, aliquando opinio, aliquando etiam fides vocatur. Cfr. Gardeil, *La certitude probable*, apud Rev. des Sciences phil. et théol. 1911, praesertim p. 468.

<sup>2)</sup> Dispositio *opinantis* qualis a S. Thoma intelligitur, videtur etiam convenire illi statui mentis quo quis unam partem contradictionis certo probabiliorem habet. Hic enim status evidenter non convenit dispositioni *dubitantis* qualis a S. Doctore definitur. Neque etiam, ad mentem eius, est mera *suspicio* (*de qua infra n. 79 nota marg.*); quia suspicere *terri* tantum sollicitatur signo, id quod de illo qui aliquam propositionem certo probabiliorem habet dici nequit, quum utique *gravis excessus* requiratur, ut aliqua propositio certo probabilius iudicari possit ac opposita.

Exemplis rem illustremus: in die festo prohibita sunt opera servilia; atqui scribere non est opus servile; ergo in die festo scribere mihi licet. In hoc syllogismo, probando rationibus directis hanc particularem veritatem quod scriptio non sit opus servile, consequitur *directa certitudo conclusionis practicae*: ergo in die festo scribere mihi licet. — E contrario, in dubio delicti, quo quis apud iudicem accusatur, quamvis ex probationibus *directis* incertum sit iudicii num reum condemnare debeat an absolvere, *certa tamen regula reflexa* est neminem in dubio condemnandum esse, qua regula index in praxi recte dirigitur. Item, utrum lex divina praecipiat peccata dubie mortalia confiteri, ex argumentis directis definiri nequit, cum diversae sint inter Theologos probabiles opiniones; attamen *corta regula reflexa* est legem dubiam non obligare, qua regula certitudo *reflexa* comparatur pro praxi; atque ita de multis aliis (n. 25).

**78. — Principia. I.** *Ad licite operandum requiritur CERTITUDO MORALIS de honestate actionis*, seu aliis verbis: *sola conscientia CERTA est recta regula morum*. Probatur ex Eccli. xxxvii. 20: « Ante omnia opera verbum verax praecedat te, et ante omnem actum consilium stabile », i. e. *iudicium de honestate actus*, qui eligitur. Praeterea ex Epist. ad Rom. xiv. 23: « Omne, quod non est ex fide, peccatum est, » ubi nomine *fidei* certa quaedam persuasio sive conscientia intelligitur, ut claret ex ipso contextu et ex omnibus interpretibus. Sed qui dubius est, absque iudicio de actionis honestate operatur, ideoque non ex fide seu conscientia, quae iudicium necessario postulat. Inde consequitur quod edixit Innocentius III in *Cap. 13 de restit. spol.*: « Quidquid fit contra conscientiam, aedificat ad gehennam. »

**II.** *In materia morali, tam ad liceitatem actionum quam ad obligationem, SUFFICIT ea certitudo moralis quam LATAM vocamus*. Ratio est, quia certitudo non est aequali modo quaerenda in omnibus, sed modo convenienti materiae subiectae. Materia autem moralis, ubi agitur de hic et nunc agendis, talis est quae ut plurimum non admittit strictam certitudinem, quia versatur circa contingentia. Hinc certitudo lata sufficiens sit oportet. Idque etiam verum esse de ea certitudine lata vel latissima, quae inest sententiae certo probabili, infra magis patebit.

Aposite S. Thomas<sup>1)</sup>: « Certitudo non est similiter quaerenda in omnibus, sed in unaquaque materia secundum proprium modum. Quia vero materia prudentiae sunt singularia contingentia, circa quae sunt operationes humanae, non potest *certitudo prudentiae* tanta esse, quod omnino sollicitudo tollatur ». Et in alio loco<sup>2)</sup>: « In actibus humani... non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quod sunt circa contingentia et variabilia. Et ideo sufficit *probabilis certitudo*, quae ut in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat ». Rursus<sup>3)</sup>: « Modus manifestandi veritatem in qualibet scientia debet esse conveniens ei quod subiicitur sicut materia in illa scientia; ideo certitudo non potest inveniri nec est requirenda similiter in omnibus. Materia autem moralis talis est quod non est ei conveniens *perfecta certitudo*...; manifestum est quod materia moralis est varia, non habens *omnimodam certitudinem* ».

**III.** *Certitudo moralis ad agendum REQUISITA saltem PRACTICA sit oportet*. Consequitur ex ipsa notione conscientiae quippe quae dictamen *pra-*

<sup>1)</sup> 2. 2. *qu. 47. a. 9. ad 2.*

<sup>2)</sup> 2. 2. *qu. 70. a. 2. 1. 2. qu. 96. a. 1. ad 3.*

<sup>3)</sup> In lib. 1. *Ethic. lect. 3. et 1. 2. qu. 91. a. 3. ad 3.*

*cticum* sit; requiritur ergo dictamen, quo quis indubie credit sibi hic et nunc licere, quod agendum omittendumve decernit.

Porro certitudo practica tunc semper habetur, cum vel *directa* probatio vel, ubi ea haberi nequit, *reflexum* principium *certum* suppetit, ex quo conclusio eruatur quae primum dirigat. Unde dubium *speculativum* cum certitudine *practica* consistere valet, si argumentum *directum*, ex quo conclusio practica ducatur, dubium sit, ita tamen ut praesto sit principium *reflexum* certum, quo praxis nunc regatur, ut in exemplis supra allatis. (n. 41. 73. 85.)

### Articulus II.

#### Conscientia dubia,

Ut ordine procedamus, exponemus: 1º inefficaciam conscientiae dubiae ad dirigendas actiones; 2º principia reflexa, quorum ope conscientia dubia deponitur.

#### § I. - INEFFICACIA CONSCIENTIAE DUBIAE AD DIRIGENDAS ACTIONES.

79. — Notio. Dubium, sicut certitudo, potest sumi subiective et obiective. Dubium *subiective* sumptum est status mentis haesitantis inter partes contradictionis seu inter alicuius propositionis contradictiones; *obiective* vero sumptum est ipsa illa propositio. Agitur proprie hic de dubio subiectivo. Porro:

Dubium subiectivum STRICTO SENSU sumptum est *suspensio* iudicii inter opposita, cum nempe intellectus neutri parti assentitur neque ab alterutra dissentitur. Sensu autem LATO etiam dicitur adesse dubium quando quis versatur in statu *opinionis*, in qua habetur assensus uni parti cum *formidine prudenti erroris*, seu assensus non penitus firmus. Hic agitur unice de dubio *stricto*, quod solum veram et propriam rationem dubii habet.<sup>1)</sup>

Divisio. Dubium dividitur: 1º *positivum*, quando utrumque suppetunt motiva aequa vel fere aequa probabilia: et *negativum*, quando ex neutra parte rationes graves occurunt. — Utrumque hoc dubium est dubium *strictum*, cum in utroque casu mens non magis inclinetur ad unum, quam ad alterum, ut loquitur S. Thomas<sup>2)</sup>; sed merito advertunt DD. dubium

<sup>1)</sup> *De Verit. qu. 14. a. 1.* Cfr. supra n. 61. — Cum S. Alfonsus n. 20 opinionem unice probabilem vocat *dubium positivum*, sumit dubium in *lato* sensu pro iudicio infirmo, ut patet conferendo definitionem dubii, quam tradit.

<sup>2)</sup> *De Verit. l. c.* Quando motiva sunt *fere* aequalia, habetur proprie *suspicio*, seu status mentis in quo magis quidem declinat in unam partem, sed aliquo *levi* tantum signo sollicitata; cfr. S. Thom. 2. 2. *qu. 2. a. 1.* Sed ideo praeceps suspicio practice merito ad statum dubitantis revocatur, quum leve signum efficiere nequeat ut aliquis uni parti vero adhaereat; iuxta effatum: « Quod parum est, quasi nihil accipit ratio ». Cfr. 1. 2. *qu. 14. a. 4* et infra n. 91.

negativum esse *improprie* dubium, cum prudentia dictet rationes leves despiciendas esse; solum igitur dubium positivum esse prudens ac rationabile dubium.

2º In dubium *speculativum*, quod spectat *rei veritatem in seipsa consideratae*, v. g. an talis contractus sit iustus vel iniustus, an pingere sit opus servile vel liberale, an Sacramentum cum tali materia collatum sit validum aut nullum: et *practicum*, quod spectat operis *exercitium*, v. g. an liceat mihi talem contractum inire, die festo pingere, Sacramentum cum tali materia conferre.

Probe itaque distinguendum est *verum a licito*: dubium enim speculativum, quamvis in re morali *indirecte* seu *consequenter* respiciat licitum, prout ex allatis exemplis lector facile perspiciet, *directe* tamen respicit verum; dubium autem *practicum directe* respicit licitum. (n. 21.)

3º In dubium *iuris*, quando dubitatur de aliquo pracepto vel obligatione: et dubium *facti*, quando de facto aliquo dubitatur, v. g. an quis votum emiserit, Horas recitaverit, temptationi assensus praebuerit, matrimonium valide contraxerit. Ex dubio facti enasci solet dubium *iuris*, puta in allatis exemplis an voto teneatur, Horas recitare obligetur, peccatum confiteri debeat, debitum petere possit. (n. 41 *et passim*.)

**80. — Principia. I.** *Numquam licet operari cum conscientia PRACTICE dubia.* Ratio est quia non licet temere se exponere periculo probabiliter peccandi; qui autem de actionis honestate dubitat, exponit se periculo probabiliter peccandi; ergo peccat. Deinde, qui dubius et anceps de operis honestate, dubio non deposito, opus aggreditur, ita animo comparatus est ut illud exsequi velit, sive legi Dei aduersetur sive non; ergo legem Dei non curat, quod sine peccato non est.

**II.** *Qui aliquid agit vel omittit quod practice dubitat esse peccatum, peccat EADEM PECCATI SPECIE ET GRAVITATE, de qua dubitat:* admittit enim illud ipsum peccatum, cuius committendi periculo se exponit. (n. 22.)

Notandum tamen est pro praxi, quod multi ignorant graviter illicitum esse operari cum dubio pratico de peccato gravi.

**III.** *Dubium de actionis honestate per principia REFLEXA deponi nequit, nisi praemissa debita diligentia in inquirenda veritate rei.* Ratio est, quia homo semper in actibus suis deliberatis prudenter se gerere tenetur; prudentia autem dictat, ut pro dubio deponendo imprimis diligentia in veritatis inventione adhibeatur ne sua culpa errorem sequatur. Recole dicta n. 66.

**IV.** *Veritate non comperta, licet operari cum dubio SPECULATIVO de sola honestate actionis, quandocumque ex certo principio reflexo dubium practicum deponitur, et hoc pacto conscientia PRACTICE CERTA formatur.* Ratio est, quia conscientia est regula proxima et interna voluntatis humanae; ergo, si illa certa est, necesse est ut actiones, quae secundum illam fiunt, bonae sint. Quod autem ex principiis reflexis possit formari conscientia

*moraliter certa de honestate actionis clare patebit ex infra n. 102 sequ. dicendis. (n. 25. 64.)*

Dictum est: *de sola HONESTATE actionis*: quia, quando in re ipsa subest periculum detrimenti, quod vitare tenemur, e. g. periculum nullitatis Sacramenti, in dubio semper pars tutior eligenda est, ut uberior explicabimus infra.

81. — **Resolutiones.** 1º Si ille qui dubitat, in re morali doctus est, libros et doctiores consulere debet, prout rei gravitas postuiat. Indocti vero, qui nesciunt sibi conscientiam formare, tenentur parochum aut confessarium, vel alium pium ac doctum virum, consulere et secundum consilium agere. (n. 24.)

2º Si dubium, omnibus perpensis, inane seu negativum appareat, sine alia reflexione deponendum est ac contemnendum tamquam scrupulus. (n. 24.)

3º Inepte agunt, qui post opus patratum incipiunt angi, et in libris vel a confessario inquirunt num peccaverint; nam iudicium subsequens non influit in moralitatem actus praeteriti, sed illa tota pendet a dictamine conscientiae antecedente et concomitante ipsam actionem. Prudenter tamen sciscitantur veritatem pro futuro. (Gury. n. 32.)

## § II. - PRINCIPIA REFLEXA QUIBUS CONSCIENTIA DUBIA DEPONITUR.

82. — Inter principia reflexa alia sunt, quibus dubia *iuris*, alia quibus dubia *facti* resolvuntur. Priora *possessione* libertatis vel legis innituntur, atque in omni dubio speculativo ad formandum dictamen conscientiae practicum *immediate* inserviunt; posteriorum ope dignoscitur *pro qua parte* stet possessio, pro lege scilicet an pro libertate, ut exinde ea dubia *iuris* resolvi queant, quae ex dubio facti proveniunt. Res ex dicendis clariscet. Hoc loco principiorum sensum et applicationem dumtaxat exponemus; eorum valorem in praesenti materia, stabiliemus in cap. IV.

### 1. Principia pro dubiis iuris.

83. — In dubiis iuris lex et libertas quodammodo inter se litigant: lex enim est ligamen libertatis, ad certos quosdam actus faciendos vel omittendos illam obligans; libertas *moralis* est immunitas a lege, seu facultas aliquid *licite* faciendi vel omittendi. Hinc in tali dubio principia reflexa litem componunt, causamque alterutri adiudicant. — Quibus autem dubiis iuris haec principia applicari possint, in specie etiam utrum soli dubio *negativo*, an etiam *positivo*, atque utrum dubio *stricto* tantum, an etiam dubio *lato*, et utrum tantum dubiis de sola honestate, infra, ubi de legitimo *usu* principiorum reflexorum dicetur, explanabitur.

84. — I. Principium autem PRIMARIUM hac in re est principium possessionis: in dubio melior est conditio possidentis; ideoque in conflictu inter legem et libertatem standum est pro lege vel pro libertate, prout

haec vel illa possidet.<sup>1)</sup> Sensus huius principii est, quod, quando neutra pars sufficienter probatur, possessoris causa debet sustineri. Porro illud possidet et praesumitur, quod *prius* est, vel priori accessorium esse solet. Pro ulteriore explanatione huius principii, vide infra n. 85.

II. Ex hoc principio primario duo alia principia velut *eius applicationes* deducuntur, quorum prius est: 1<sup>o</sup> *lex in dubio de eius exsistentia seu promulgatione non obligat*, quia eo in casu libertas possidet. Et hoc sensu sumendum est effatum: *Lex dubia non obligat* et alterum huic aequale: *Lex incerta non potest certam obligationem inducere*. (n. 26. 63. in fine. H. A. n. 37.)

2<sup>o</sup> Alterum principium ex principio possessionis profluens est: *lex in dubio de eius cessatione obligat*, quia eo in casu lex possidet.

Pro horum duorum principiorum intelligentia notandum est, legem posse dupli modo esse dubiam: 1<sup>o</sup> *simpliciter*, i. e. *quoad exsistentiam seu promulgationem*, sive ipsius legis, sive applicationis eius, quando nempe dubitatur num exsistat, an tempus obligationis iam inchoaverit, an talem casum aut tale onus in se comprehendat, an ad tales personas aut talem locum se extendat, utrum aliquid praecipiat an suadeat tantum; 2<sup>o</sup> *secundum quid*, i. e. *quoad cessationem*, quando agitur de lege certo promulgata, et eatenus certo exsistente, sed dubium postvenit de facto num abrogata fuerit, an desierit eius obligatio, num quis habeat causam excusantem, an dispensatus sit, num legem impleverit, et similia. (n. 27. 97. 99.)

Porro, in primo casu possidet libertas et melior est conditio eius, quippe quae prior est nec tolli potest solo dubio subsequenti de lege. E converso in altero casu, quando lex *certo* promulgata est, eius obligatio non tollitur solo *dubio* subsequenti, sed probari debet factum quo desinit; sicut enim certa libertas non tollitur subsequenti dubio, sed probanda est lex, ita neque lex certa; vel, sicut lex dubia non ligat libertatem certam hominis, sic neque dubia libertas solvit a lege certa.

85. — Notanda circa principium possessionis. Quum principium possessionis ab *omnibus* Probabilistis in hac materia admissum fuerit, ac plurimum usuveniat in dubiis moralibus resolvendis, opportunum esse duximus, penitus explanare, quid sibi velit illa libertatis et legis possessio, et unde vim suam hauriat.

I. EXPLANATIO PRINCIPII. Possessio haec idem prorsus significat, servata proportione, quod in materia iustitiae; ab huius nempe virtutis materia per analogiam ad aliarum virtutum materiam extenditur. Quemadmodum enim in materia *iustitiae* possessio significat *praeexistens* apud quempiam dominii exercitum in aliquam rem, respectu alterius de dominio illo contendentis, ex qua possessione possessio praesumitur esse rei dominus, donec contrarium demonstretur: ita pari modo in materia *honestatis* possessio *libertatis* nihil aliud est, quam *antecedens* eius, respectu legis dubiae, ius certum: possessio vero *legis* est *antecedens* eius, respectu liberationis dubiae, certa obligatio; quae prioritas efficit ut in dubio postveniente, illa, quae *prius certa* est, pro se habeat praesumptionem iuris, ideoque onus probandi transferat in alteram partem. Possessio igitur in hac materia

<sup>1)</sup> Quomodo hoc principium etiam S. Alfonso sit primarium, vide in *Confessore direitto c. 1. n. 11; Theol. I. Mor.* n. 26. ed. Gaudé. nota a.

analogice sumitur pro quovis *iure certo* dubium *praecedente*: unde consequitur sensum ac vim principii possessionis hoc modo reddi posse: « *Ius certum antecedens non tollitur dubio postveniente, sed perseverat, usquedum probetur eiusdem cessatio* » (n. 26).

Ceterum, si quando non liqueat utrum lex possideat an libertas, tunc *vincant humanitas et facilitas*; <sup>1)</sup> ubi enim dubie possidet lex, certe possidet libertas.

II. **UNDENAM VIM SUAM HAURIAT?** Post datam principii explanationem, quaestio solvenda est *unde hoc principium vim suam hauriat?* Respondemus: Ex principio *praesumptionis*: « In dubio standum est pro parte, pro qua stat *praesumptio*. » *Praesumptio* a iurisperitis definitur: « *Anticipata rei dubiae probatio ex validis argumentis et indicis desumpta*. » Dicitur: *anticipata*, quia *praesumptio* ante *directas probationes* aliquid pro *vero* sumit; quamdiu nempe non probatur contrarium. Indicia porro aut argumenta pro diversa rerum natura varia sunt. Unum ex illis, quod ad *praesentem* materiam spectat, hoc est: Quoties aliquod ius *praeexistere* vel saltem logice *praecedere* scitur, *quod natura sua perseverat donec facto aliquo contrario tollatur*, illud in conditione sua perseverare censetur, quamdiu de facto illo contrario non constat, ita ut hoc iudicium cedat dumtaxat *sufficienti probationi*, cuius onus alteri, quae id impugnat, parti incumbit. Non autem cedit *dubio* suberto, imo nec dubium efficit ut *praesumptio ipsa* in dubium adducatur; quare ius, quod *praeexistere* sciebatur, id, durante dubio, pergere et integrum manere censetur. Vis ergo et effectus *praesumptionis* est, eam partem, pro qua stat, liberare a probandi necessitate, quam transfert in partem oppositam, et, nisi haec contrarium probet, causa alterius pro *vera* habetur.

III. **APPLICATIONES PARTICULARES PRINCIPII.** Restat denique *aliquot exemplis primum ostendere*. *Praesumptionis* principium plane generale est, et permultis accommodatur casibus particularibus, quorum aliquos enarrare iuvat. 1º Quum de cuiuspam criminis suspicio habetur, antecedens ius eius ad bonam famam, stante dubio, perseverat, quamdiu de nequitia non constat; unde regula: « *Quilibet praesumitur bonus, nisi probetur malus* » — 2º Si quis possidet praedium, quod alter dubio iure suum esse contendit, possessor in possessione manet, usquedum competitor ius suum comprobet; quia possessio parit *praesumptionem dominii*, unde antiqua regula 65 in 6: « *In dubio potior est conditio possidentis* » et regula 54: « *Qui prior est tempore, potior est iure* ». — 3º Lex vel *praeceptum*, de quo dubitatur num iustum sit, iustum habetur, donec iniustitia probetur; unde principium: « *In dubio obsequendum est Superiori* ». — 4º In dubio an confitenda sint peccata dubie mortalia, aut mortalia dubie commissa, item an explicandae circumstantiae notabiliter aggravantes, nulla est obligatio, quia libertas possidet. Contra, qui certus de mortali commisso dubitat an illud confessus sit (stando in terminis dubii *stricti*), debet confiteri, quia lex possidet. — Pari modo dubitans num sit excusatus ab observatione ieiunii, si nequeat aut nolit petere dispensationem, legem servare tenetur (n. 195. lib. 6. n. 468. 473. 474. 477.)

#### 86. — *Quaeritur, quid censendum sit de principio: IN DUBIIS PARS TUTIOR EST ELIGENDA.*

*Resp.* 1º Sano sensu acceptum est vera et universalis regula. Etenim non accipit tutiorem partem *comparative* ad aliam, quae etiam tuta est, sed *adversative* ad aliam, quae non est tuta; quia non adstringimur partem tutiorem sequi, quando altera est tuta. Sensus ergo est quod in dubiis debemus relinquere partem dubiam seu intutam, et tutam seu certam eligere. Propterea, exsistente dubio, tenemur dubitationem deponere et sequi partem indubiam; nam, stante dubia conscientia, non possumus operari.

Unde idem est tutiorem partem sequi ac sequi conditionem possidentis; quia iusta possessio confert ius, et ubi est ius, tute potest quis illo uti, et talis pars tuta est sequenda. Ita Joannes a S. Thoma in 1. 2. *disp. 12. art. 4. n. 11-13.*

<sup>1)</sup> S. Greg. Nazianz. *Oratio 39.* (Migne, P. G. t. 36. col. 353).

2º Eo sensu acceptum, quod in dubiis debeamus *semper* partem rigidam seu legi faventem sequi Rigoristarum principium est atque prorsus falsum, ut infra luculenter probabitur. Tum solum in hoc sensu verum est, cum dubium practicum non deponitur aut deponi nequit, prout postea ostendemus n. 97; nam in hoc casu altera pars non est tuta.

## 2. *Principia pro dubiis facti.*

87. — Praecipua sunt, quae sequuntur: 1º Factum in dubio non praesumitur, sed probari debet. Principium illud valet, quando dubitatur de facto *principali*, v. g. an votum emiseris, an confessus fueris, etc.

Hinc dubium iuris, ex dubio facti proveniens, pro diversitate facti probandi resolvendum est iuxta sequentes regulas: a) *In dubio facti FUNDANTIS LEGEM*, i. e. quo posito, lex vel obligatio nascitur, possidet libertas. b) *In dubio facti SUPPONENTIS legem*, i. e. quo posito, lex desinit aut impleta est, possidet lex. c) *In dubio facti inducentis legum iuriumve COLLISIONEM*, praevalet lex potior.

Ex prima regula v. g. in dubio num tempus adsit, quo lex incipit obligare, lege non teneris; num quis sit iejunus, potest communicare: utrum necne mortaliter peccaverit, communicare potest non confessus, elicta tantum contritione. Item in dubio an consilium ad damnum datum sit, aut si de eo quidem constet, ad damnum ex illo fuerit secutum, nulla, post debitam utique inquisitionem, facienda est restitutio (n. 32. 38. 39. *Lib. 6. n. 475. Lib. 3. n. 562*).

Ex secunda regula v. g. in dubio an tempus, quo lex obligat, effluxerit, lege teneris. Item, si dubitas num legem impleveris, puta num horas recitaveris, poenitentiam per solveris, obligaris; nisi unice probabile sit te implevisse, tunc quippe oritur probabilis certitudo, quae, ubi de debito legali agitur, sufficit ut excuseris. Item, quando debitum certum est, factum vero solutionis dubium, debitor solvere tenetur, vel facienda est inter partes compositio pro rata dubii (n. 29. 32. 34.).

Ex tertia regula iam olim excusabatur a iejunio sexagenarius; quia ius naturale servandi vitam preponderat praecerto ecclesiastico. Item, qui prudenter dubitat an Missae auditio in ecclesia die festo, aut Officii recitatio, aut iejunium, non forte graviter nocitura sint sanitati, si nequeat commode petere consilium aut dispensationem, excusatur. (*Lib. 3. n. 325. 1036. Lib. 4. n. 154. et n. 3.*).

88. — 2º In dubio omne factum praesumitur recte factum. Hoc principium valet quando constat de facto *principali*, et de solo *accessorio* aliquo facto dubitatur, puta de aliqua circumstantia vel conditione necessaria, aut de debito modo, utrum adfuerit: tunc huiusmodi factum *accessorium iure debitum vel fieri solitum adfuisse praesumitur*, eius defectus e contra demonstrari debet, quod per haec axiomata enuntiari solet: *In dubio praesumitur factum, quod de iure faciendum erat, aut quod ordinarie fieri solet; et hoc alterum: Delictum vel defectus non praesumitur, sed demonstrari debet.*

Dubium iuris inde manans resolvitur hoc principio: *In dubio standum est pro valore actus.* Et haec *praesumptio pro valore actus* *preponderat* aliis. (n. 26. *Lib. 6. n. 505. 907. 1133. H. A. n. 16. tr. 18. n. 37. Confess. direct. cap. 15. n. 22.*)

Nonnullis exemplis axiomata haec dilucidare liceat, ut pateat quibus casibus ea accommodari possint, quibus vero non possint. Si quis v. g. vere vovit, dubitat autem num vovoendo noverit aut adverterit voti obligationem, vel an non defuerit plena deliberatio, an non voverit metu coactus, an is fuerit gravis, standum est pro valore actus. Secus vero est, si dubitatur de ipsa voti emissione, vel de capacitate materiae, vel an non fuerit simplex propositum. — Item, in dubio num confessio sacramentalis fuerit valida, ob dubium de aliqua ex conditionibus ad validitatem requisitis, standum est pro valore actus, ita ut repeti non debeat. — Similiter, si matrimonium certe est initum, et dubitatur an rite initum sit, omne factum praesumitur recte factum, et standum est pro valore actus. (n. 26. Lib. 3. n. 196. 201. qu. 3. Lib. 6. n. 1133.).

### 89. — 3º Ex communiter contingentibus prudens fit praesumptio.

Unde etiam iuxta Codicem Iuris Can. pueri qui ante septennium certo pervenerunt ad usum rationis, non tenentur legibus mere ecclesiasticis, quia secundum communiter contingentia usus rationis adesse non praesumitur, nisi expleto septennio. Legislator autem attendit ea, quae communiter accident. Post septennium vero, in dubio rationis adeptae, tenentur; quia tunc ex communiter contingentibus praesumitur usus rationis adesse. Cfr. can. 12 et 88. — Unde in dubio de consensu in delectationem venereum, si pius et timoratus dubitat qui consentire non solet, praesumi debet non consensisse, saltem haud plene; sin autem dubitat qui solet facile in mortalia prolabi, consensisse praesumitur. — In dubio de valore confessionum recidivorum, si recidivus post confessiones suas ut plurimum cito et sine resistantia relapsus sit, praesumendus est nullum vel nimis tenuem habuisse dolorem vel propositum. Aliter vero dicendum, si per aliquod tempus perseveraverit, vel ante lapsum aliquam resistantiam praestiterit. (Lib. 3. n. 270. Lib. o. n. 476. 505).

## CAPUT IV.

### DE USU OPINIONIS PROBABILIS

Statuimus supra, solam conscientiam certam esse legitimam normam agendi atque sufficere conscientiam indirecte certam, per principia reflexa formatam, ubi conscientia directe certa obtineri nequit. Restat ut inquiramus, quomodo eo in casu conscientia indirecte certa per principia reflexa formanda sit, seu, quandonam licitum sit uti opinione probabili quae ad sufficientem certitudinem non pertingat, quatenus ei alia opinio probabilis eaque tutior opponatur. In qua quaestione tractanda opinio, uti patet, sumitur sensu obiectivo, pro ipsa sententia seu propositione probabili. — Quo melius autem quaestio solvatur, dicemus: 1º de usu opinionis probabilis in genere; 2º de usu opinionis probabilis in concursu tutioris in specie, seu de systemate morali ad formandam conscientiam ex opinione probabili ope principii reflexi.

#### *Articulus I.*

##### De usu opinionis probabilis in genere.

Agemus: 1º de natura opinionis probabilis eiusque efficacia ad formandam conscientiam; 2º de regulis ad diiudicandam probabilitatem.

## § I. - PROBABILITATIS NATURA ET EFFICACIA.

90. — **Netio.** Opinio probabilis duplaci sensu accipi potest: *a)* sensu *stricto*: et est ea, quae tam gravi nititur fundamento, sive intrinseco rationis sive extrinseco auctoritatis, ut valeat hic et nunc ad se trahere assensum viri prudentis, etsi cum formidine erroris. Gravitas fundamenti seu apparentia veritatis in obiecto probabilitatem *constituit*: assensus intellectus est *effectus* eius, quem nata est producere in homine, quique *status opinantis* vocatur; incertitudo assensus seu formido erroris opinionem distinguit a sententia stricte *certa*, utpote quae omnem prudentem falsitatis formidinem excludit. Coincidit ergo cum sententia certa certitudine morali late dicta, de qua supra n. 77 egimus. (*n. 40.*) — *b)* sensu *latō*: est sententia quaevis quae solidum fundamentum habet, etsi non tale quo sententia ista hic et nunc assensum intellectus post se trahere valeat, quatenus hic assensus impeditur sententia contraria quae etiam solidum fundamentum habet.

In iis quae sequuntur, opinio probabilis ita sumitur ut sensum non tantum strictum sed etiam latum includat.

91. — **Divisio.** Multiplex distinguitur opinio probabilis. 1º Ratione OBIECTI: *a)* alia est probabilis *de iure*, in quaestione de legis exsistentia vel obligatione; alia *de facto*, in quaestione de facti exsistentia vel valore. (*n. 41 et passim.*) — *b)* Alia est *speculative* probabilis, quae talis est, spectata rei veritate: alia etiam *practice*, quae licite in praxim deducitur.

2º Ratione FUNDAMENTI est: *a)* *intrinsece* probabilis, quae nititur ratione gravi petita ex re ipsa: *extrinsece*, quae nititur auctoritate gravium Doctorum. — *b)* *Certo* probabilis, quae nititur motivo *indubie gravi*: *dubie* probabilis, de cuius motivi soliditate merito dubitatur: *tenuiter* probabilis, quae levi fundamento innititur. Sola certo probabilis vere probabilis est; duae ultimae enim non merentur assensum viri prudentis. (*n. 40.*)

Contradictionem continet quidpiam esse probabile, quod caret fundamento gravi; consequenter tenuiter probabile aequivalet improbabili, sicut tenuis fortitudo aut tenuis peritia dicenda potius est debilitas et imperitia (*n. 54. 82.*).

Similiter opinio *probabiliter* probabilis non est vere probabilis; sicut enim certitudo de opinionis probabilitate non facit opinionem ipsam certam, sic probabilitas de opinionis probabilitate non facit opinionem ipsam probabilem.

3º Ratione RELATIONIS OPINIONUM opinio probabilis vel talis est cui nulla opinio seu ratio probabilis opposita apparet, vel talis cui alia opponitur. Prior, si certo probabilis est, vocatur *unice* probabilis. Altera dicitur *in se* probabilis, quatenus eius fundatum seorsum spectatum apparet grave: *comparative* seu *relative* probabilis, quatenus eius fundatum, cum fundamento opinionis oppositae comparatum, gravitatem suam retinet. — Opinio enim quae in se spectata probabilis apparet, saepe si cum opposita comparatur, iam amplius probabilis non est, puta quum rationes

eius a contrariis motivis oppositae opinionis elidantur vel saltem multum diminuantur. Liquet autem in materia nostra seu in ordine ad prudens dictamen practicum semper relativam probabilitatem considerandam esse; qui enim dictamen practicum de actionis honestate formaret, considerando tantum probabilitatem unius opinionis in se et voluntarie iudicium suspendendo circa opinionem contrariam, ignorantia *vincibili* laboraret et temere ageret.

Comparativa probabilitas suos habet *gradus*: unde distinguitur opinio *aequa*, *minus*, aut *magis* probabilis, prout nempe motivis *aequa*, *minus*, vel *magis* solidis nititur, quam opinio opposita. — Porro opinio *probabilior*, alia est *paulo probabilior*, seu simpliciter dicta *probabilior*, quae nititur fundamento non multo graviori quam opinio opposita; huiusmodi opiniones, ut patet, sunt *ferre aequa probabiles*. Alia est *notabiliter*, evidenter seu *certo probabilior*, cuius fundamenta multo graviora sunt<sup>1)</sup>; aut *probabilissima* cuius fundamenta sunt gravissima. Itaque opinio *probabilissima* inter opiniones probabiles principem locum tenet; attamen notabiliter *probabilior* et *probabilissima* moraliter aequipollent; utraque enim reddit sententiam *sensu lato* moraliter certam. — Opinio autem opinioni certo *probabiliori* opposita iuxta alios semper dubie vel tenuiter *probabilis* erit, iuxta alios aliquando vere *probabilis*, id est, solido motivo innixa remanere potest. (n. 40. 56. 31. H. A. n. 29. 31. *Confess. direct. cap. 1.* n. 14. 19.)

Notes demum opinionem probabilem dici *tutuorem*, si legi, *minus tutam*, si libertati favet, quatenus in priori deest periculum violationis *etiam materialis* legis, non ita in altera. Attamen in praxi opinio *minus* tuta potest tamen fieri tuta quoad periculum peccati *formalis*, quoties nempe opinio *probabilis* favens libertati ex principio reflexo indirecete certa redditur in ordine ad praxim. Cfr. supra n. 86.

92. — **Principia. I.** *Ex opinione unice probabili, probabilissima vel certo probabiliori prudens formatur dictamen practicum de honestate actionis.* Ratio est quia generant prudentem assensum opinativum in hanc partem; hinc eam praebent certitudinem, quae spectata natura materiae moralis, sufficiens haberi debet pro honestate actionis, uti supra n. 78 probatum fuit. Hinc, quamvis assensus intellectus in talem opinionem speculative consideratam non sit simpliciter firmus, sed cum formidine errandi, legitime tamen homo ipsi firmiter adhaeret in ordine ad actionem.

Similiter, si opinio *pro lege* probabilissima vel unice *probabilis* est, haec tenenda est, cum tunc lex sit sufficienter certa, ut directe obligationem

<sup>1)</sup> Sententiae *multo* aut *notabiliter* aut *evidenter* *probabiliori* iuxta S. Alfonsum (*Theol.-mor. 1* n. 55. ed. 6<sup>a</sup> et 7<sup>a</sup>) aequiparari debet sententia *certo probabilior*, cum parvus excessus in moralibus certo percipi nequeat. — Hinc paulo *probabilior* practice aequiparatur *aequaprobabili* secundum effatum: *Parum pro nihil putatur*. Mutuum est a S. Thoma, qui 1. 2. qu. 14. a. 4. scribit: « Quod parum est, quasi nihil accipit ratio. — Sensus est: motiva levia, modicam motivorum praeponderantiam ab una parte, levem formidinem erroris, ratio non aestimat; de rebus parvi momenti vir prudens non consiliatur; levis omissione inadvertenter facta nihil pendi potest. »

suam inducat. Idem valere si opinio certo probabilior stat pro lege infra probabimus.

II. *Inter opiniones utrimque aequa vel fere aequa probables prudens dari assensus nequit nec prudens formari dictamen practicum de honestate actionis, nisi adscito principio extrinseco seu reflexo quod conscientiam practice certam reddit. Quamvis enim motivum probabile ex se et seorsum spectatum assensum mereatur et si in statu solitudinis occurrat ad actionis honestatem sufficiat, motiva tamen utrimque aequa probabilia relinquunt intellectum prudentem in statu dubitationis de actionis honestate, ita ut nequeat sine temeritate uni parti assentiri<sup>1)</sup>, vel ex ipsa prudens dictamen practicum de actionis liceitate formare. Ut agens prudenter uni parti adhaereat in ordine ad actionem seu ex ipsa prudens dictamen practicum de actionis honestate efformet, necesse est ut accedat principium extrinsecum seu reflexum quod dictat prudenter uni parti adhaererri posse in ordine ad actionem seu, uti dicunt, quod conscientiam practice certam reddit. Quandonam in dubio accedat principium reflexum quod conscientiam certam reddit de actionis honestate infra videbimus. (n. 68; Croix. lib. 1. n. 265; Cardenas. part. 1. disp. 6. 6. n. 52-98; Salmant. dogm. de poenit. disp. 8. n. 182.)*

III. *A fortiori prudens assensus dari nequit opinioni certo minus probabili, et prudens inde formari dictamen practicum de actionis honestate numquam potest. Prima pars sequitur ex dictis sub II; ratio alterius partis est quia in casu opposita pars est sufficienter certa ad inducendam obligationem, ita ut locus dari nequeat formandi cum principio reflexo conscientiam practice certam de actionis honestate, uti probabimus infra.*

Etiamsi igitur aliqua opinio certo minus probabilis alicui speculative solide probabilis videretur, nihilominus practice probabilis non est. Unde apposite S. Alfonsus opinionem, quae mediante principio reflexo practice probabilis est, ita definit: « Opinio vere probabilis ea sola est, quae habet fundamenta intrinseca et extrinseca aequa vel fere aequa valida ac opposita pro lege, ita ut lex certo ac stricte dubia appareat ».<sup>2)</sup>

92 bis. — *Quaestiones. QUAER. 1º Quandonam probabilitas unius opinionis elidatur ab opinione opposita.*

Elisio est vel ablatio probabilitatis seu solidi fundamenti vel impeditio solius effectus eius, nempe vis permovendi hic et nunc intellectum ad prudentem assensum. Hoc praemissio:

*Resp. 1º Ablatio probabilitatis certo contingit, quando sententia opposita est certa, certitudine morali stricte dicta: haec enim natura sua elidit omnem probabilitatem oppositi, ita ut hoc ne tenuiter quidem probabile sit. — Quando vero sententia est certa, certitudine morali late dicta, ita ut certo probabilior sit opposita, tunc certo contingit ablatio probabilitatis, si motiva sibi invicem sint contraria, ita ut tunc opposita non nisi dubie aut parum probabilis sit; si vero motiva sint disparata, disputatur. Iuxta alios etiam eo in casu sententia opposita solide probabilis remanere nequit; quatenus quis ex eo, quod una pars est moraliter certa seu certo probabilior ita ut mereatur prudentem assensum opinativum, convincitur oppositam opinionem solide probabilem esse non posse*

<sup>1)</sup> Cfr. 3. Sent. dist. 23. qu. 2. a. 2.

<sup>2)</sup> Dell'uso moderato dell'op. prob. 1765. c. 5. n. 25. Cfr. infra n. 99. II.

proportionaliter sicut aliquis ex eo, quod una pars est certa certitudine stricte dicta, convincitur oppositum esse omnino improbabile. Iuxta alios non liquet eam aliquando non remanere posse solide probabilem; attamen, etsi tunc sensu logico seu *speculative* vere probabilis dici possit, numquam tamen *practice* probabilis erit ut infra probabitur.

2º *Impeditio solius assensus evenit*, quando motiva utriusque opinionis fere *aequalia* sunt; quia motiva *aequalia* intellectum *aequaliter* movent ad utramque partem, et ideo impediunt quominus uni potius quam alteri prudenter adhaereat; consequenter concursus opinionum *aeque* vel fere *aeque* probabilium *dubium positivum* *stricte dictum* generat. Hoc sensu S. Alf. scribere potuit: « Ubi duae opiniones concurrunt *aeque* probabiles, neutra probabilis, sed tantum dubia remanet » (n. 68. 76. Salmant. dogm. loc. cit.).

QUAER. 2º *Quid ergo iudicandum de principio: QUI PROBABILITER AGIT, PRUDENTER AGIT.*

Resp. 1º In occurso opinionis *unice* probabilis, cui nempe non opponitur altera probabilis opinio, est principium verum et ab omnibus admissum; quia eiusmodi opinio meretur viri prudentis assensum, quod in rebus humanis evidentia parentibus sufficit.

2º In concursu opinionum fere *aeque probabilium*, ita ut liceat pro arbitrio quamlibet sequi, est principium plane falsum; quia motiva *aeque* gravia pro utraque parte non possunt non suspendere intellectus assensum; cum conscientia autem dubia non potest quis prudenter operari (n. 65. H. A. n. 42).

Hoc ita est, si effatum illud sumitur velut principium proprio dictum. Sin autem sumitur tantum velut corollarium ex alio certo principio reflexo, tunc, si agatur de dubio circa existentiam legis, rectum est (n. 80).

3º In concursu certo minus probabilis pro libertate cum certo probabiliori pro lege, hoc effatum falsum est, et tamquam principium, et tamquam corollarium, ut infra probabitur (n. 54).

## § II. - REGULAE AD DIJUDICANDAM PROBABILITATEM OPINIONUM.

93. — Regulae generales. I. Sola ratio seu argumenta interna probabilitatem opinionum (atque ideo et probabilitatis certam aut notabilem praeponderantiam) constituunt; quare nulla opinio potest ex theologorum auctoritate probabilis aut notabiliter probabilior esse, nisi ex ratione seu ex argumentis etiam talis sit.

II. Probabilitas extrinseca ex auctoritate Doctorum tanti roboris est, ut aliquando aequiparetur probabilitati intrinsecae rationis; hoc enim est proprium auctoritatis, ut, ubi ratio non appareat, ipsa rationis locum teneat, certam praesumptionem faciens, plures et graves Doctores, qui aliquam opinionem tuentur, solidas rationes habuisse.

III. Auctoritas theologorum non ex eorum multitudine, sed *ex eorum gravitate* aestimanda est; ita ut paucorum vel etiam unius Doctoris, speciali scientia ac pietate praediti, auctoritas aliis pluribus aliquando praferenda sit. Inde effatum: « Auctores non numerandi, sed ponderandi sunt. » (n. 79.)

Quapropter ad dignoscendam opinionum probabilitatem, aliquot statuuntur regulae speciales, quas distinctis quaestionibus exponemus.

94. — Quaestiones. QUAER. 1º *Ad quos spectet de opinionum probabilitate iudicare.*

*Resp.* 1º De probabilitate *intrinseca* iudicare possunt soli viri docti et in re moralis versati. Pluries enim viris ingeniosis, sed in scientia moralis parum eruditis, videbitur evidens, quod periti falsum existimant. (Carden. *disp.* 59.)

2º De probabilitate *extrinseca* iudicare potest vir mediocriter doctus, si statum quaestione recte intelligat et opinionem assertam inveniat a Doctoribus omni exceptione maioribus, i. e. qui *notorie* sunt probatae auctoritatis. Dico *omni exceptione maioribus*; admodum enim periculose procedunt, qui quamlibet opinionem auctorum statim arripiunt, quia favet libertati vel commodo suo, quin auctores illi sint *notorie* omni exceptione maiores et quin ipsimet discernere valeant an opinio sit vere et practice probabilis; exploratum equidem est semper *exstisset* complures theologos nimium benignos. (Croix. *lib.* 1. *n.* 151. 152; Carden. *loc. cit.*)

3º Indocti, qui per seipso non valent Doctores consulere, stare possunt testimonio praedicatorum et confessariorum, quos probos, doctos et prudentes reputant. (*n.* 24.)

*QUAER.* 2º *Quomodo procedendum ut rectum iudicium feratur de opinionum intrinseca probabilitate.*

*Resp.* Oportet ut sedulo inquiratur veritas, conferendo utrumque motiva, quae pro et contra stant; secus enim cognosci nequit, annon motiva partis oppositae sint certa aut multo graviora, ac proinde grave periculum oritur amplectendi opiniones practice improbabiles. Hinc, ex communi DD. sententia, opinio probabilis est, quae nititur motivo, non *secundum se* solum, sed etiam *comparative* gravi, expensis scilicet utriusque partis argumentis.

*QUAER.* 3º *Quandonam opinio ut extrinsece probabilis habenda sit.*

*Resp.* Certo talis censenda est ea: a) quae, tolerante Ecclesia, communiter seu a plerisque theologis ut probabilis asseritur; b) quam quinque aut sex theologi graves, probitate nempe, iudicio et scientia praestantes, ex professo tractarunt et communiter tenent, sive contra nullum, sive contra unum alterumve dumtaxat contrarium docentem; c) quam tenet aliquis Ecclesiae Doctor, puta S. Thomas, S. Alfonsus. Nisi tamen ratio *intrinseca* omnino certa vel auctoritas Ecclesiae in contrarium occurrerit.

*QUAER.* 4º *Quae auctoritas praferenda sit.*

*Resp.* Auctoritas paucorum DD., qui ex professo quaestionem aliquam discutiunt, praferenda est dictis aliorum plurium, qui obiter de illa scribunt. Imo nonnumquam, licet raro, auctoritas unius Doctoris poterit constituere opinionem probabilem, quin et multo probabiliorem, contra communem aliorum, si auctor ille sit valde doctus, probus, prudens, a partium studio liber, nec novitatum amans, validamque afferat rationem quam alii non considerarunt aut non satis solverunt, ipse autem contrarias rationes commode solvat. Cfr. prop. 27 damn. ab Alexandro VII. (*n.* 79.)

*QUAER.* 5º *Quid si casus aliquis non discutiatur a theologis.*

*Resp.* Tunc viro docto et timorato illa opinio est satis probabilis, quam scit se diligenter examinasse, tum rationes perpendendo tum doctos consulendo, quamque sine inordinato affectu iudicat gravi motivo *nixam*, modo opposita sibi non videatur niti motivo multo graviori; probabilitas namque non est ad casus publicos restringenda. (Croix. *lib.* 1. *n.* 124.)

## SCHOLION

*De probabilitate opinionum S. Alphonsi.*

95. — I. Auctoritas S. Alfonsi in re morali. Quanta sit auctoritas S. Alfonsi in re morali, et quam merito ideo eius opiniones fideliter sequamur, iam elucet ex iis quae in prooemio operis dicta fuere. Quare hic solummodo breviter quaedam magis particularia notamus de approbationibus et laudibus a S. Sede doctrinae morali S. Alfonso tributis.

1º Et primum quidem habetur favorable decretum S. Rituum Congregationis diei 18 Maii 1803, approbatum a Pio VII, quo declarat in operibus Alfonsi « nihil censura dignum repertum fuisse ». Eiusmodi declaratio, ut ex verbis ipsis liquet, non est approbatio *positiva*, qua doctrina S. Auctoris immunis declaretur ab *omni* prorsus errore, ideoque vera et tenenda: sed *negativa* tantum, qua pronuntiatur in operibus S. Alfonsi nihil repertum fuisse, quod doctrinae *fidei et morum* ad illud usque tempus ab Ecclesia *explicite* propositae aduersetur censuramve aliquam theologicam idcirco mereatur.<sup>1)</sup> Est tamen vera approbatio, quatenus S. Sedes doctrinam S. Alfonsi positive permittit tamquam sanam ac tutam sequi; quod confirmatur resp. S. Poen. 5 Iulii 1831.

Ex laudato decreto consequitur: 1º Opiniones S. Alfonsi manere opiniones privatas, liberae Doctorum disputationi obnoxias; consequenter « debita cum reverentia posse citra ullam temeritatis notam impugnari, si modesta impugnatio bonis rationibus innixa sit », ut loquitur Benedictus XIV<sup>2)</sup>. 2º Posse in iisdem operibus sententias reperiri, quae cum doctrina Ecclesiae circa fidem et mores illo tempore nondum explicite proposita, stare non possunt; quae proinde, quum primum Ecclesia doctrinam suam explicite proposuerit, deserendae sunt. Nullam autem huiusmodi sententiam ibidem repertam fuis hucusque novi. 3º Posse demum in iisdem operibus errata inveniri circa res mere positivas *disciplinae ecclesiasticae*, eo quod vel postea aliter decisae fuerint, vel quod S. Alfonsus notitiam non habuerit legum aut decisionum de iis latarum; quod facile etiam diligentissimo accidere potest in tanta legum et resolutionum multitudine. Huiusmodi errata censura haud afficiuntur.

Atvero, ut supra innuimus, laudata approbatio, utut negativa, non recte ita intelligeretur, quasi S. Alfonsi scripta dumtaxat tolerata essent; nam vera est approbatio, quam *permissivam* vocare licet, qua S. Sedes doctrinam S. Alfonsi positive permittit tamquam *sanam ac tutam* sequi. Porro huiusmodi approbatio est singulare privilegium, quo ceteri non-canonizati scriptores morales carent, quum non ex publico iudicio Ecclesiae constet nullam in ipsorum scriptis esse doctrinam erroneam; dum contra certi sumus ex iudicio publico Ecclesiae, in operibus S. Alfonsi nullam inesse sententiam fidei aut bonis moribus contrarium. Quae quum ita sint, quis non fatebitur, in re morali, tam gravi, tam difficiili, tot dubiis et quaestionibus obvoluta, huiusmodi approbatione mire tranquillari animos?

Hunc, quem dedimus, verum esse approbationis sensum, egregie confirmatur Responso S. Poenitentiariae die 5 Iulii 1831. Consulta a Card. de Rohan-Chabot, archiepiscopo

<sup>1)</sup> Cfr. can. 2068 et 2072.

<sup>2)</sup> *De canoniz. lib. 2. cap. 34. n. 12.*

Vesontionensi, S. Congregatio respondit: « Theologiae Professorem *tuto* posse sequi ac profiteri opiniones B. Alphonsi, quin tamen ideo reprehendendi censeantur, qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur; nec inquietandum esse Confessarium, qui in praxi sacri tribunalis Poenitentiae omnes B. Alphonsi opiniones sequitur, non perpensis etiam earum rationibus, hoc solo fundamento, quod a Sede Apostolica nihil in operibus illius censura dignum repertum fuerit ». Unde concludit Avanzini: <sup>1)</sup> « Quod ex eo Responso causam iuvat, illud est quod nullus auctor, de rebus moralibus scribens, peculiarem illam declarationem sibi vindicare possit: quo factum est ut conscientiarum moderatores de uno probato auctore per ipsam S. Sedem certi essent. Quod, inspecta ratione agendi S. Sedis, res est magni momenti ».

2º Praeter approbationem negativam de qua hactenus, obtigit doctrinae morali S. Alfonsi approbatio quaedam *positiva*, quam *commendatitiam* appellare possumus. Etenim nullus fuit S. Pontifex, qui S. Alfonsi doctrinam moralem non magnopere laudarit atque enixe commendarit; cum primis Pius IX in Brevi, quo S. Alfonsum Doctorem Ecclesiae declaravit. Hisce laudibus et SS. Congregationes Cardinalium suffragatae sunt, utpote quae saepenumero, potius quam dubia proposita directe solverent, ad Alfonsum, quasi oraculum venerandum, consulentes delegarunt. <sup>2)</sup>

3º Commendatur demum doctrina moralis S. Alfonsi *ex titulo Doctoris Ecclesiae ipsi tributo*. Eminentia doctrinae, quae ad sanctos scriptores titulo Doctorum Ecclesiae decorandos exigitur, ut recte observat Avanzini, <sup>3)</sup> non *absolute* consideratur, sed *relative* ad magnum aliquem effectum, quem pro varia Ecclesiae conditione praeclaro ingenio, sanctimonia et doctrina consecuti sunt; quem effectum aliquod Ecclesiae suffragium significaverit oportet. Porro S. Alfonsus id potissimum suis scriptis effecit, ut *practicum Jansenismum* radicitus evulserit, sicut universus fere Episcopatus et ipse Pius IX in Brevi *Qui Ecclesiae* 7 Iulii 1871 testati sunt. Hoc vero praeclarum bonum Theologiae Morali praeceteris adscribendum est, prout non obscure declarant tum Decretum S. R. C. 23 Mart. 1871, approbatum a Pio IX, tum citatum eiusdem Pontificis Breve.

In laudato enim Decreto haec leguntur: « Ipse errorum tenebras, ab incredulis et Iansenianis late diffusas, doctis operibus, maximeque Theologiae Moralis tractationibus dispulit atque dimovit. Obscura insuper dilucidavit, dubiaque declaravit, cum inter implexas Theologorum sive *laxiores* sive *rigidiores* sententias *tutam* straverit viam, per quam Christi fidelium animarum moderatores inoffenso pede incedere possent ».

**II. Regulae quaedam speciales de valore opinionum S. Alfonsi.** 1º Omnes opiniones S. Alfonsi sunt *extrinsece probables*, exceptis iis quae probabilitatem suam *publice* perdiderunt, sive ex actis S. Sedis S. Alfonso ignotis vel ei posterioribus, sive ex evidenti ratione, uti v. g. ob progressum scientiarum praesertim profanarum circa aliquam applicationem specialem accidere potuit.

<sup>1)</sup> *Acta S. Sedis. Vol. 6. pag. 314. in nota.*

<sup>2)</sup> Ita S. Poenit. 8 Junii 1849, 10 Dec. 1860; S. Offic. 15 Sept. 1859, 18 Iulii 1860; S. C. Conc. 29 Aug. 1860.

<sup>3)</sup> *Acta S. Sedis. vol. 6. pag. 317.*

2º Magna habetur *praesumptio probabilitatis etiam intrinsecae* opinio-  
num S. Alfonsi, quia doctrina Doctoris Ecclesiae, tantopere a Sede Apo-  
stolica commendata et generatim in universa Ecclesia acceptata, merito  
supponitur esse valde prudens et niti rationibus intrinsecis.

3º Hinc *practice*: 1º *licet a)* sequi omnes opiniones S. Alfonsi, exceptis  
iis quae probabilitatem suam publice amiserunt; *b)* sequi opinionem ipsi  
contrariam in uno altero casu, modo post diligens examen alicui pro  
praxi sufficienter probabilis appareat; *c)* impugnare opinionem aliquam  
S. Alfonsi, debita tamen cum reverentia et modestia. — 2º *Non licet*  
*a)* sequi opinionem aliquam S. Alfonsi contra intimam propriam convi-  
ctionem; at in tali casu saepe quis facile poterit reformare conscientiam  
dubitando de proprio lumine ob auctoritatem tanti Doctoris; *b)* *passim*  
relinquere opiniones S. Alfonsi.

III. Regulae ad dignoscendum S. Alfonsi iudicium de valore sententiarum. Regulae  
istae pro intelligentia Theologiae Moralis S. Alfonsi summi momenti sunt, ut legenti pa-  
tebit. Sunt autem sequentes:

1º Generatim ea sola opinio S. Doctori practice probabilis est, quam ipsem proba-  
bilem vocat. Quocirca attendendus est loquendi modus, quem interdum adhibet. Quando  
nempe ait: « Probabiliter dicunt auctores », tunc eiusmodi sententiam probabilem censem,  
cum autem scribit: « Dicunt Doctores, probabiliter licere », exinde non liquet hanc sen-  
tentiam ab ipsomet probabilem haberi; sic enim loquendo, generatim mere refert illorum  
auctorum iudicium.

2º Si de aliqua opinione dicit: « Non videtur improbabilis » aut: « Non improbabiliter  
dicitur », tunc ipsam regulariter practice probabilem habet.

3º Sententiam, quam *solam* vocat probabilem, eidem nihil opponendo, instar mora-  
liter certae habet.

4º Opiniones, quas neque probabiles neque improbabiles nuncupat, lectoris electioni  
relinquit, qui proinde benignas eligere potest secundum regulam quam refero n. 126. —  
Quodsi, probatam doctrinam tradendo, gravis Doctoris animadversionem allegat, v. g.:  
« Lugo addit, advertit, » tunc regulariter eiusmodi animadversionem approbare videtur.

5º Cum aliquam opinionem dicit *veriorem*, aut *longe* probabilem, tunc oppositam  
non aestimat practice probabilem, etiamis ut improbabilem expresse non reiiciat. Verbum  
« *verior* » aequipollit *notabiliter* probabili.

6º Quando unam ex sententiis *probabilem* esse asserit, nullo iudicio dato de oppo-  
sita, aut si de opposita dicit: « Non audeo eam damnare, » vel: « Non audeo eam impro-  
babilem dicere, » non propterea mens eius est hanc practice probabilem dicere, sed iudicio  
prudentiorum remittere. (*Praefat. S. Alf. in fine et lib. 5. n. 76 in fine*).

7º Si unam opinionem *probabilem*, alteram *probabilem* vocat, *paulo* aut *dubie* *pro-  
bablem* intendit, ita ut et sententia probabilis iuxta eum in proxim deduci possit.

8º Sententia, quam simpliciter *communem* aut *communiorem* dicit, nullo de opposita  
lato iudicio, regulariter sua dicenda est.

Advertendum superest, nonnumquam conferenda esse diversa loca vel opera S. Do-  
ctoris, in quibus easdem quaestiones tractat.

*Articulus. II.*

**De usu opinionis probabilis in concursu tutioris  
seu de systemate morali.**

Systema morale hic intelligitur complexus principiorum reflexorum quorum ope, in concursu opinionis probabilis pro libertate cum opinione tutiore, formatur conscientia practice certa. Qua de re inquiremus: 1º quae materia subiecta sit systemati morali, 2º quae sint varia systemata, 3º quomodo probetur sistema S. Alfonsi, 4º quomodo confutentur alia systemata.

**§ I. - MATERIA SYSTEMATI SUBIECTA.**

**96. — Praenotandum.** Malum, quod ex actione quadam secuturum esse timetur, potest vel unicum esse vel multiplex, scil. vel sola laesio honestatis seu peccatum, vel praeterea aliud quoddam malum temporale aut spirituale a priori distinctum; v. g. homicidium complectitur tum malum morale seu peccatum, tum malum physicum seu grave damnum proximi ex privatione vitae et, si occisus sit in statu peccati, etiam grave damnum spirituale ex damnatione animae. Porro controversia theologorum de usu principiorum reflexorum in favorem libertatis unice valet, cum agitur de sola *actionis honestate*: minime vero ubi intervenit *periculum alicuius mali ab actionis honestate distincti*. Unde haec statuitur

**97. — Propositio.** *Ubi agitur de sola actionis honestate, principia reflexa in favorem libertatis adhibere licet; ubi vero adest periculum mali, quod a conscientia non pendet, quodque vitare tenemur, semper in dubio pars tutior sectanda est.*

*Probatur.* Quando homo tenetur vitare malum quodpiam, tenetur quoque periculum eius vitare: hoc quippe perinde est in moralibus. Atqui in dubio speculativo de sola honestate actionis, periculum peccati tolli potest; in eiusmodi vero dubio de malo ab actionis moralitate distincto, huius mali periculum removeri nequit. Ergo in priori casu, sublatto periculo, cum dubio speculativo agere licet; non autem in posteriori.

*Prob. min.* In priori enim casu conscientia est principium proximum et formalē honestatis actus; atqui in dubio principia reflexa formant conscientiae dictamen ultimum certum de actionis honestate, ut infra probabimus; ergo periculum peccati formalis tunc omnino sublatum est. Contrarium autem evenit in casu posteriori; etenim malum huiusmodi a dictamine conscientiae nullatenus pendet, sed ab eo quod a parte rei verum est; proinde aequa accidere potest, qualiscumque sit agentis conscientia; ergo, nisi sequamur viam certam aut securiorem, non vitamus periculum. (n. 42. Croix. lib. 1. n. 117.)

Dictum est: *quod vitare tenemur*: quandoque enim iusta est causa permittendi malum, atque ideo periculum eius creandi, sive quia inter duo mala minus est eligendum, sive quia via tutior censetur moraliter impossibilis. In eiusmodi ergo casu licebit omittere viam tutiorem et minus tutam eligere.

98. — **Corollaria ex probata propositione.** Ex probata propositione sequitur, prohiberi praecepto tum religionis, tum caritatis ac iustitiae, usum opinionis quantumvis probabilis, sequendam vero esse sententiam tutiorem vel moraliter certam, *ubi agitur de valore Sacramenti, de propriae animae periculo, aut de damno proximi spirituali vel temporali.*

Itaque: I. IN PERICULO NULLITATIS SACRAMENTORUM. Etenim damnata est ab Innoc. XI prop. 1: « Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, reicta tuiore, nisi id vetet lex, conventionio, aut periculum gravis damni incurriendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis sacerdotalis aut episcopalnis. » Ob paritatem idem valet de susceptione, ut censem communis sententia.

Excipe tamen, si: 1º urgeat necessitas, modo tunc Sacramentum conferatur sub conditione; vel: 2º Ecclesia possit et rationabiliter praesumatur defectum supplere vel se supplere aut deesse obstaculum declareret; quo casu potest absolute conferri; quod in duobus Sacramentis fieri potest, scil.: a) in sacramento Poenitentiae, si conferatur in errore communi aut in dubio positivo et probabili, sive iuris sive facti, de iurisdictione sacerdotis; b) in sacramento Matrimonii, si adsit impedimentum ecclesiasticum dubium dubio iuris, vel potentia dubia, dubio sive iuris sive facti. Cfr. can. 15. 209. 1068 § 2. (n. 48-51. Lib. 6. n. 57. 573. 901.)

99. — II. IN PERICULO ANIMAE PROPRIAEC, scil.: 1º *In necessariis ad salutem necessitate medii;* ideo v. g. in materia fidei sequenda est tutior. Etenim in absolute necessariis ad salutem dictamen conscientiae non aufert periculum damnationis; ergo in hisce sequendum est axioma: « Nulla nimia securitas, ubi pericitatur aeternitas. » Accedit quod hic inquirenti veritas certo certius sese offeret. Idcirco damnata fuit ab Innoc. XI prop. 4: « Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens ductus opinione minus probabili. » Similiter in dubio rationabili de valore confessionis peractae, nemini licet mori in statu gratiae *dubio*, sed tenetur certitudinem sibi comparare. (Lib. 2. n. 10.)

2º *In periculo peccati formalis:* nefas est sequi plures opiniones speculative quidem probabiles, sed quae in praxim traductae, attenta communi vel speciali operantis fragilitate, certo coniunctae sunt cum probabili periculo lapsus in peccatum, ut postea latius dicemus n. 126.

100. — III. IN PERICULO DAMNI PROXIMI, scil.: 1º Ob proximi *scandalum* vitandum servanda quandoque est lex, quae probabiliter non exsistit. (n. 97).

2º *In periculo vitae.* In *medendo* medicus tenetur remedia tutiora adhibere. Verumtamen, quando desperatur de salute infirmi, licet adhibere remedium periculosum, probabiliter profuturum, sed et probabiliter nocitrum: quia in illa rerum desperatione aliqua spes vitae praeferranda est periculo accelerandi mortem. Non vero licet, solum experiendi gratia, incerta prorsus et inexplorata remedia applicare infirmis, etiam desperatis, cum periculo graviter nocendi: hoc enim est medicamenta per neces quaerere. (n. 44-46.)

Idem valet in aliis casibus similibus. Propterea v. g. illicitum est bellum offensivum in dubio iuris; illicita explosio sclopeti in dubio facti an id, quo collimatur, sit fera vel homo, etc. (n. 42. 52.)

3º *In materia iustitiae.* *Ubi neutra pars bona fide possidet, stante dubio iuris in causa civili* iudex tenetur opinionem certo probabiliorem sequi, sententiam ferendo in favorem illius partis, pro qua stat opinio probabilior. Ratio est, quia iustitia iudicem obligat ad tribuendum cuique ius suum secundum merita causae; iustitia autem instar lancis eo inclinat, ubi maius est pondus rationum; ergo. Unde damnata fuit ab Innoc. XI prop. 2: « Probabiliter existimo iudicem posse iudicare iuxta opinionem minus probabilem. » — Quodsi utriusque partis litigantis causa *aequa probabilitas* sit, iudex tenetur vel componere partes suadendo eis transactionem, vel pronuntiare non constare de iure actoris, vel alio modo rem decidere iuxta ea quae diversa iura decernunt. (Cfr. pro iure eccl. can. 1869. § 4. 1697. § 2; plura infra n. 1232. qu. 1.) Ratio est, quia in iudiciis non est acceptio personarum habenda, quae haberetur, si in tali casu uni potius faveret quam alteri. Hinc damnata fuit ab Alexandro VII prop. 26: « Quando litigantes pro se habent opiniones aequa probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio. »

Dixi 1º *ubi neutra pars bona fide possidet:* quia possessio bonae fidei parit praesumptionem dominii; unde, qui possidet, non tenetur probare rem suam esse, sed onus probandi reicit in adversarium. Quodsi adversarius rem ad se pertinere non satis probet, ita ut res incerta maneat, iudex pro possessore contra petitorem iudicare debet.

Dixi 2º *stante dubio iuris:* nam in dubio *facti* semper iudicandum est in favorem *rei*: actoris enim est probare factum quo ius eius innititur.

Dixi 3º *in causa civili:* quia in causa criminali, capitali praesertim, reo favendum est quamdiu crimen non luculenter probetur: nam nocentis absolutione Respublica minus laeditur, quam innocentis condemnatione. Hinc antiqui iuris can. regula 1. in 6: « Cum sunt partium iura obscura, reo favendum est potius quam actori. » (n. 47. Lib. 4. n. 210.)

Idem valet in aliis casibus similibus, quoties proximus est in certa possessione iuris sui. Idecirco v. g. illicita est occulta compensatio, nisi debitum sit certum.

## § II. - VARIA SYSTEMATA MORALIA.

101. — Septem numerantur systemata moralia pro delectu opinionum, quas licite sectari possumus, prout regula, quam statuunt pro dubiis practice deponendis, plus minusve rigida vel benigna est:

I. *Rigorismus* seu *Tutiorismus damnatus*, secundum quem non licet sequi sententiam libertati faventem, nisi sit *moraliter certa*: alias semper pars tutior sectanda est.

II. *Rigorismus* seu *Tutiorismus mitigatus*, secundum quem non licet sequi sententiam minus tutam, nisi sit *probabilissima*.

III. *Probabiliorismus*, iuxta quem non licet sequi opinionem pro libertate, nisi sit *certo et notabiliter probabilior* quam opposita pro lege.

IV. *Systema Compensationis* docens, in dubiis tutius esse sequendum nisi incommodum relative grave excusat.

V. *Probabilismus moderatus* seu *Aquiprobabilismus*, qui permittit usum *moderatum* opinionis probabilis, haec tria statuens: 1º In dubio *stricto* de legis *existentia* seu *promulgatione* licet sequi opinionem probabilem pro libertate, relictam aequam vel fere aequam probabili pro lege, seu relictam etiam *paulo* vel *dubie* probabiliore pro lege; 2º In dubio *stricto* de *cessatione* legis servanda est lex; 3º Non licet sequi opinionem minus probabilem pro libertate, relictam *notabiliter* seu *certo* probabiliore pro lege. *Aequibprobabilismus* est sistema S. Alfonsi, prout infra fusius dicetur.

VI. *Probabilismus absolutus*, secundum quem fas est sequi opinionem minus probabilem pro libertate, relictam *probabiliorem* pro lege, dummodo illa vere probabilis sit. Hoc sistema a praecedenti differt in eo, quod non distinguit inter opinionem *paulo* ac *multo* probabiliorem, neque inter dubium de legis *promulgatione* ac de eiusdem *cessatione*.

VII. *Laxismus damnatus*, secundum quem licitum est sequi opinionem benignam, etiam *dubie* aut *tenuiter* tantum *probabilem*.

Exceptis igitur Rigorismo et Laxismo damnatis, cetera systemata reliquit Ecclesia liberae theologorum disputationi. Inter ea tamen Probabilismum moderatum seu Aquiprobabilismum, qui S. Alfonsum seu praecipuum fautorem ac vindicem habuit, medium tenere viam atque verum esse censemus.

### § III. - DEMONSTRATIO SYSTEMATIS S. ALFONSI.

102. — Ut ex dictis in § praecedenti liquet, sistema S. Alfonsi tribus propositionibus constat, quarum duae priores dubium *strictum*, prima de *promulgatione*, altera de *cessatione* legis, tertia dubium *latum* seu statum *opinantis* respiciunt. Has tres propositiones ex ordine probabimus; dein quaedam in confirmationem totius systematis simul sumpti proferemus, atque ultimo, quid de aliis systematibus sentiendum sit, breviter dicemus.

#### PROPOSITIO I.

103. — In dubio *stricto* de *existentia* seu *promulgatione* legis nulla habetur legis *obligatio*.

Explicatur propositio. Dicitur: *in dubio*; intellige dubium etiam *positivum* iuxta ea quae supra (n. 79.) observavimus; atque quidem dubium quod speculativa solvi nequit.

Dicitur: *in dubio stricto*, quando ergo rationes sunt *aequales vel fere aequales*, ita ut etiam *paulo* vel *dubie* probabiliorem pro lege relinquere licitum sit, iuxta effatum supra (n. 91.) explicatum: «parum pro nihilo reputatur.»

Dicitur: *de exsistentia*, sive ipsius legis sive eius applicationis, prout supra (n. 84) iam dictum est. Hinc propositio tenet, non tantum si totius legis exsistentia alicui est stricte dubia, verum etiam si stricte dubitetur, an tempus obligationis iam inchoaverit, an lex talem casum, locum, personam comprehendat, utrum aliquid praecipiat an suadeat tantum.

Dicitur: *seu de promulgatione*: quae promulgatio hic accipitur pro quavis notificatione qua obligatio legis primum in cognitionem venit. Quare idem est dicere hic agi de dubio circa exsistentiam legis ac de dubio circa eius promulgationem.

Dicitur: *legis*, sive naturalis sive positivae.

104. — Probatur propositio ex ratione. In dubio stricto de exsistentia seu promulgatione legis, obligatio sectandi partem tutiorem, si qua esset, provenire deberet aut *directe*, virtute ipsius legis, aut *indirecte*, ex ipso dubio pratico quod nullo principio reflexo in favorem libertatis solvi posset. *Atqui*, neutrum obtinet; *non primum*: ut enim lex directe obliget, debet esse sufficienter promulgata; id quod in dubio stricto de eius exsistentia seu promulgatione non obtinet; *non alterum*: dubium enim strictum solvi potest argumentis indirectis, sicut in rebus humanis fieri solet; argumentum autem huiusmodi invenitur in solo principio possessionis seu praesumptionis, secundum quod in dubio stricto melior habenda est conditio possidentis ideoque standum est pro ea parte quae possidet, donec contrarium probetur; in dubio autem stricto de exsistentia seu promulgatione legis possidet libertas. Ergo neque directe neque indirecte oritur ulla obligatio sectandi partem tutiorem.

105. — I. PRIOR PARS MINORIS LATIUS PROBATUR ostendendo: 1º necessitatem promulgationis ut lex directe obliget; 2º insufficientiam dubii stricti, ut habeatur promulgatio.

1º *Lex ut directe obliget, necessario promulganda est*. Etenim lex est regula actuum humanorum; est et *vinculum* libertatis. Porro homo nequit actus suos secundum regulam regere, nisi regulam cognoscat; deducitur autem in eius notitiam, seu applicatur illi regula, per promulgationem, qua lex homini proponitur; ergo promulgatio necessaria est ut lex habeat virtutem suam. Similiter, lex non ligat hominem, nisi attingat ipsum; attingit autem per scientiam seu cognitionem; scientia ergo legis requiritur, ut lex vim obligandi habeat. Ita S. Thomas. 1. 2. qu. 90. art. 4; *De verit. qu. 17. art. 3.* (n. 56-58.)

2º *Lex stricte dubia non est sufficienter promulgata*. Etenim promulgatio, uti vidimus, denotat notitiam sive scientiam legis; scientia autem et notitia significant cognitionem saltem lato sensu *certam*, uti S. Alfonsus saepius notat. Ergo lex dubia non est sufficienter promulgata. (n. 59. 68. 74. 76. H. A. n. 44. 46. 47. 57.)

Unde, cum noscitur lex dubia, uti recte ait S. Alf., tunc promulgatum est dumtaxat dubium, quaestio an adsit lex, sed lex ipsa promulgata non est. (n. 58. 66. 74. H. A. n. 37.)

II. ALTERA PARS MINORIS LATIUS PROBATUR ostendendo: 1º in dubio stricto semper esse meliorem conditionem possidentis, 2º in dubio stricto de existentia seu promulgatione legis libertatem esse in possessione.

1º *In dubio stricto semper melior est conditio possidentis*: eo nempe sensu quo supra (n. 85) iam expositum fuit. Probatur autem hoc axioma, primum pro materia iustitiae, dein vindicando eius extensionem ad materiam nostram, seu simplicis honestatis.

Probatur hoc axioma pro materia *iustitiae*, tamquam fundatum in iure naturali: cum enim in dubio quaedam sit aequalitas utrimque, non est cur mentem in unam partem potius quam in alteram trahat; ideo ipsa ratio dictat, dubitatione postveniente non everti certitudinem praeexiscentem et propter solum dubium non esse res mutandas ab antiquo statu, ideoque si quis, praeter rationes aequales, gaudeat etiam rei possessione, hanc novum titulum praebere cur ipsi potius quam alteri adiudicari debeat. Propterea illud principium semper admissum fuit in omnibus tribunalibus. Ita Suarez. *De voto lib. 4. cap. 5. n. 7*; Cardenas. *disp. 56. n. 1069*; Croix. *lib. 1. n. 500*. — Horum omnium autem fundamentum est non solum *bonum commune*, quatenus secus securitas publica circa ius proprietatis nimis labefactaretur, verum etiam ipsa *praesumptio dominii seu proprietatis* in favorem possessoris, quatenus, spectatis moribus hominum, ex communiter contingentibus ii qui rem aliquam bona fide tamquam domini possident etiam reapse eius domini esse solent. Cfr. Carrière. *de Iust. n. 1094. (n. 36)*.

Probatur autem extensio huius principii etiam ad materiam nostram seu *simplicis honestatis*, quatenus principium analogice etiam de hac materia valet. Etenim: a) Adest *paritas*; quia, sicut in materia iustitiae, urgente dubio an res sit mea necne, exsistit aliqua aequalitas inter obligationem restituendi et libertatem retinendi, et, accidente possessione uni parti, melior est eius conditio: ita etiam in materia honestatis, urgente dubio an actio sit licita necne, exsistit aliqua aequalitas inter obligationem legis et libertatem hominis, et sic, accidente possessione uni parti utpote prius certae, prioritate saltem logica, melior est eius conditio. — b) *Rationes* in quibus fundatur principium possessionis in materia iustitiae partim saltem convenient etiam materiae nostrae; praesertim vero ultima eius ratio ex *praesumptione* hausta, quatenus etiam in materia nostra spectata natura legis et libertatis, ius legis vel libertatis merito perseverare censetur, quamdiu de contrario non constat. Cfr. supra n. 85. — c) Possessio est titulus *universalis*, omnibus virtutibus conveniens, eo modo quo ratio debiti, iustitiae propria, aliquo modo transcendit omnes virtutes. Etenim cum essentia iustitiae sit unicuique ius suum tribuere, hoc omni virtuti competit, prout religio tribuit ius suum Deo, caritas proximo, temperantia sibi ipsi, et sic de aliis; ideo merito dicitur cum S. Thoma<sup>1)</sup> iustitiam esse omnium virtutum rationem genericam, in qua omnes convenient. Quapropter, sicut contra iustitiam stricte dictam est in dubio circa proprietatem privare possidentem re quam habet, pariter contra rationem genericam iustitiae est in dubio circa obligationem legis hominem sua libertate, quam possidet, privare<sup>2)</sup>.

2º *In dubio stricto de existentia seu promulgatione legis libertas possidet*. In dubio enim tali illud merito nobis moraliter in possessione esse dicitur quod logice saltem prius est. *Atqui* in hoc dubio libertas logice saltem prior est. Libertas enim nostra moralis vi ipsius legis naturalis de se non est restricta ad aliquam materiam determinatam; lex vero de se est limitata seu restricta ad materiam particularem; ideoque habitudo legis et libertatis haec est, ut lex sit *limitatio libertatis*. Unde merito dicit D. Thomas: « illud dicitur licitum quod nulla lege prohibetur »,<sup>3)</sup> atque falsa est regula antiprobabilistarum: « nihil est licitum, nisi quod moraliter constet fuisse a Deo permisum. » Hinc in dubio de existentia legis libertas nostra moralis saltem logice prior est quam lex, ei tamquam *limitatio superveniens*; atque hoc sensu merito in possessione esse dicitur et potioris conditionis habetur.

Dicitur libertatem in casu *saltem logice* priorem esse lege; ubi enim habetur dubium

<sup>1)</sup> 2. 2. *qu. 58. a. 5.*

<sup>2)</sup> Principium possessionis strictiorem admittit applicationem in materia iustitiae, quam in materia aliarum virtutum; quia iustitia ceteris virtutibus rigidior est. Ad differentiam enim aliarum virtutum, medium iustitiae est medium *rei*, id est, aequalitatis rei ad rem; et ius, quod iustitia respicit, ius *strictum* est. Unde fit ut lites de iustitia strictiores exposcant probationes; dum quaestiones, quae in materia simplicis honestatis moventur, morali probatione dirimuntur.

<sup>3)</sup> In 4 sent. *Dist. 15. qu. 2. a. 4. ad 2.*

de lege *positiva*, libertatis possessio adhuc maior est, quia ibi agitur de determinatione ex libera voluntate legislatoris libertati superveniente. (n. 61. 62. 75. 76. 97. H. A. n. 75.)

Notes demum possessionem libertatis destrui in dubio de cessatione vel adimpleteione legis; quia lex quae semel certo supervenit libertati eamque limitavit, prioritatem generalem libertati pro hac parte aufert; sicut in materia iustitiae certitudo proprietatis in uno beneficium possessionis in altero tollit. Imo, ex eo quod lex semel certo exstitit, haec in possessione erit, in quantum natura sua perseverare censetur atque cessatio vel adimpleteio eius generatim haud praesumenda sunt. Cfr. infra n. 111. *seqq.*

**106. — Probatur propositio ex auctoritate. I. Testimonios SS. Patrum.** Ex illis enim evincitur, in dubiis non semper partem tutiorem sequendam esse, iuxta D. Augustini effatum<sup>1)</sup>: « Quod enim neque contra fidem neque contra bonos mores esse *convincitur*, indifferenter est habendum ».

Ita quoque S. Greg. Nazianz.<sup>2)</sup>: « Aut rem ita se habere proba, aut, si id nequis, ne condemnes: quodsi res dubia est, vincat humanitas et facilitas. » S. Leo Magnus<sup>3)</sup>: « In his quae vel dubia fuerint vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis SS. Patrum *inveniatur adversum*. » S. Bernardus<sup>4)</sup>: « Sane ibi unusquisque in suo sensu securus abundat, ubi aut certae rationi, aut non contemnendae auctoritati, quod sentitur non obviat. » (n. 66.)

**II. Consensu Doctorum.** Principium nostrum admittitur a S. Thoma, qui disertis verbis idem adstruit. Ad haec praestantissimi Theologi ita sentiunt, ut S. Antoninus, Suarez, Lugo, Sanchez, Joannes a S. Thoma, Sylvius, Toletus, Lessius, Laymann, Bonacina, Salmanticenses, Amort, et multi alii; imo post S. Alfonsum haec sententia omnino in scholis praevaluit.<sup>5)</sup> (n. 56. 61. 74. 76.)

Ad rem S. Thomas<sup>6)</sup>: « Ita se habet imperium gubernantis ad ligandum in rebus voluntariis illo modo ligationis, qui voluntati accidere potest, sicut se habet actio corporalis ad ligandum res corporales necessitate coactionis. Actio autem corporalis agentis numquam inducit necessitatem in rem aliam, nisi per *contactum coactionis* ipsius ad rem, in qua agit; unde nec ex imperio alicuius domini ligatur aliquis, nisi imperium *attingat* ipsum, cui imperatur: attingit autem ipsum per scientiam. Unde *nullus ligatur per praecipuum aliquod, nisi mediante scientia illius praecippi...* Sicut in corporalibus agens corporale non agit, nisi per *contactum*, ita in spiritualibus praecipuum non ligat, nisi per *scientiam*. » Scientia autem illa denotat cognitionem *certam et directam illius legis*, de qua agitur.

**107. — Solutio objectionum. Obiic.** 1º Leges tam naturales quam positivae, quas observare debemus, omnes certo existunt et promulgatae sunt; dubia vero versantur dum taxat circa casus particulares utrum ad legem pertineant. Ergo evanescit principium: « Lex non sufficierter promulgata non obligat. »

*Resp.* Prorsus idem est dicere: dubium est num lex generalis certa, v. g. lex non fandi, hunc illumve casum comprehendat, ac dicere: respectu talis casus lex est dubia.

<sup>1)</sup> *Epist. 54. ad Januar.*

<sup>2)</sup> *Orat. 39.*

<sup>3)</sup> *Epist. 167.*

<sup>4)</sup> *Epist. 77 ad Hug.*

<sup>2)</sup> Pro legibus ecclesiasticis nota e can. 15; « leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio iuris non urgent ».

<sup>3)</sup> *De verit. qu. 17. art. 3.*

Inde dicimus, quod si lex est dubia quoad singularem casum, respectu illius non obligat. Stat ergo principium. (n. 63 et 72.)

*Instant.* Promulgata lege, promulgata simul sunt omnia consectaria, quae ex ea necessario fluunt; itaque dubium circa ea non potest impedire quominus promulgata sint.

*Resp.* Promulgata sunt omnia consectaria certo cognita, *concedo*; invincibiliter dubia, *nego*, ut abunde probavimus.

108. — *Obiic.* 2º Si in concursu opinionum probabilium abest certa cognitio legis, adest tamen certa cognitio periculi violandi legem in eo, qui sequitur opinionem minus tutam; atqui non licet voluntarie se exponere periculo peccandi, ut constat ex Eccli. iii. 27: « Qui amat periculum, in illo peribit; » ergo non licet opinionem minus tutam sequi.

*Resp.* 1º *Retorg. argum.* in Probabilioristas; sequendo enim opinionem probabiliorum minus tutam datur idem periculum; confugiendum igitur foret ad damnatum rigorismum.

2º *Dist. min.* Non licet se exponere periculo peccandi *formaliter*, *concedo*; peccandi *materialiter*, *subdist.*: secundum quod humano modo et secundum exigentias prudentiae vitiari potest et debet, *conc.*, *secus*, *nego*. Et pariter *disting. conseq.*: non licet opinionem minus tutam sequi non sequendo id pro quo stat possessio seu praesumptio, *conc.*, *secus*, *nego*.

Porro, sequendo opinionem benignam, versamur quidem in aliquo periculo violandi legem *materialiter*, minime vero *formaliter*; ex principiis enim reflexis plane certi sumus legem dubiam, etiamsi *objective* fortasse adsit, *subjective* non obligare, seu non esse legem *quoad nos*. Quoad violationem *materiale* vero, haec utique per se praecavenda est, sed cura ad hoc adhibenda regulanda est secundum exigentias prudentiae et secundum quod humano modo fieri potest. Qui autem in dubio sequitur id pro quo stat praesumptio prudentem curam adhibet ad praecavendum hoc periculum, et recte spernit periculum, quod in casu abesse praesumendum est.

*Obiic.* 3º In dubio circa legem standum est principio iuris Canonici antiqui: « In dubio tutior via est eligenda. »

*Resp.* 1º In sano sensu acceptum principium istud sequimur: nam systema S. Alfonsi est tutum. Seque partem tutiorem, quando altera pars etiam tuta est, non est praeceptum, sed consilium tantum. Recole dicta n. 86.

2º In sensu Probabilioristarum acceptum valet: a) in dubio *practico* de actionis honestate; b) in dubio *facti* quocum coniunctum est periculum mali, quod a conscientia non pendet, quodque vitare tenemur, de quo disseruimus n. 98-100. In hisce enim casibus altera pars non est tuta. Id clare probat S. Alf. n. 77, singulos casus discutiendo, quibus canones regulam illam applicant. (n. 63.)

*Obiic.* 4º Lex aeterna antiquior est libertate humana; atqui possessio, si qua sit, debet stare pro antiquiore; ergo pro lege aeterna potius quam pro libertate.

*Resp. Dist. mai.* Lex aeterna prout est *aeterna* seu ut est *in Deo*, antiquior est libertate *participata* seu ut est *actu in homine*, *conc.*; lex aeterna est prior libertate, si utraque consideratur secundum idem et in eodem, puta ut participata in homine, *nego*. Tunc enim unaquaque lex particularis est posterior libertate eique supervenit tamquam limitatio eius in particulari materia, secundum principium S. Thomae: *omne illud est licitum quod nulla lege prohibetur*. (n. 69-71. 75.)

### SCHOLION

109. — Opportunum est hoc loco quaestionem proponere: *An liceat opiniones oppositas SIMUL sequi circa idem obiectum.*

Negative respondendum, si agatur de sequendis illis in eodem moraliter actu et inde aliqua lex certo fraudaretur, vel ius aliquod certo violaretur, etsi igno-

tum sit quodnam. Sit hoc exemplum: testamentum forma legali destitutum probabiliter est validum in foro conscientiae, probabiliter quoque est invalidum. Non licet igitur alicui ex priori sententia adire hereditatem, atque ex posteriori non solvere legata in eodem contenta; hoc pacto enim certe ageret contra ius unius, sive heredis ab intestato sive legatarii, et sibimet in eodem actu contradiceret. — Secus vero esset, per se loquendo, si *successive* in diverso casu sequeretur modo unam, modo alteram opinionem; quia in qualibet seorsum spectata probabiliter latet veritas, nec tunc in utroque casu certo aliqua lex fraudatur. Ita Lugo. *De Euchar. disp.* 15. n. 46-54; Cardenas, *disp.* 56. n. 1151. 1152; Croix. *lib.* 1. n. 370-374; Sporer. *tr.* 1. n. 35 et alii communiter. Cfr. etiam Wouters. *l. c.* p. 19; Lehmkuhl. *l. n.* 204-5.

### PROPOSITIO II.

#### 110. — In dubio stricto de legis certae cessatione servanda est lex.

Explicatur propositio. Dicitur: *in dubio*, tam negativo quam positivo. Quoad dubium *negativum* thesis communiter admittitur: quoad dubium vero *positivum*, multi eam negant; quia, aiunt, quando utrimque adest probabilitas, utrumque adest sufficiens motivum ad assensum, ac proinde libertas eligendi opinionem, quam quisque maluerit. Sed haec doctrina sibi non constat, ut patebit.

Dicitur: *in dubio stricto*; in dubio enim lato de legis certae cessatione, ubi opinio de legis cessatione est unice probabilis vel certo probabilior, habetur sufficiens certitudo directa de ea, ita ut omnis obligatio desit; iuxta dicta *n.* 78 et 92. (*lib.* 3. *n.* 290. H. A. *tr.* 2. *n.* 69. *n.* 15.)

Di itur: *in dubio de legis certae cessatione*; porro, dubium debet esse de ipsa *positione seu existentia* istius facti, quo posito, lex eiusve obligatio cessat. Secus vero est, quando constat de facto, sed dubitatur de *modo* quo factum positum fuerit, utrum rite necne; quia in tali dubio possessio stat pro valore actus, iuxta principium communiter receptum; praesumptio autem pro actus valore praeponderat aliis. Cfr. infra *n.* 310; *tom.* II. *n.* 311. (*n.* 26 et 53. *Lib.* 2. *n.* 2, cum nota Gaudé. *Lib.* 3. *n.* 700 *in fine*. *Lib.* 6. *n.* 505. 907. H. A. *n.* 16 et 29, *tr.* 5. *n.* 31, *tr.* 15. *n.* 34. *in fine*, *tr.* 16. *n.* 46.)

Facta porro, quibus lex praeeexistens obligare desinit, sunt abrogatio vel derogatio, cessatio finis legis, dispensatio vel privilegium, consuetudo contraria, causa excusans, lapsus temporis quo lex obligat, ac tandem ipsa legis impletio. Haec facta, ut patet, pleraque se referunt ad leges humanas; cfr. supra *n.* 87, ubi plures applicationes habentur.

Dicitur: *servanda est lex*. Intellige, uti patet, nisi dubium praesumptione aliqua particulari vel alia ratione eliminari possit, vel adsit ratio excusans. Porro, quod ad legis *impletionem* attinet, libertas persaepe iuvatur hisce rationibus: quod in particularibus adiunctis impletio saepissime ex communiter contingentibus praesumi potest; quod praeceptum positivum non obligat cum gravi incommmodo; quod periculum, ne via aperiatur scrupulis, est incommodum exsolvens lege in praesenti dubio, ut bene advertit Marc. *n.* 98. Hoc pacto ergo saepe evenit, ut qui legem probabiliter implevit, ad nihil amplius teneatur. Confer infra *n.* 1108. *qu.* 3.

**111. — Probatur propositio ex ratione.** I. Ex principio: *Factum in dubio non praesumitur, sed probari debet.* Ut quis stante dubio stricto de cessatione legis, licite legem non servet, non sufficit, ut directe lege non teneatur, verum etiam requiritur, ut nec indirecte ei adstringatur; adstringitur autem indirecte ob dubium practicum, quod ex illo dubio de cessatione legis oritur, si illud nullo principio reflexo in favorem libertatis solvi potest; non enim licet dubium practicum in favorem libertatis solvere nisi innitendo legitimo principio reflexo. (cfr. supra n. 80.) Atqui tale principium reflexum in casu non habetur. Libertas enim ab obligatione legis praexistentis admitti nequit, nisi praesumatur factum eius cessationis. Sed factum cessationis praesumi nequit, iuxta principium supra (n. 87.) statutum et communis sensu innixum: *Factum in dubio non praesumitur, sed probari debet.*<sup>1)</sup> Ergo libertas in casu nullo principio reflexo iuvari potest. — Imo quia in dubiis quoad prudentem normam agendi standum est pro ea parte, pro qua stat praesumptio, secundum explicata et probata supra n. 104 et 105. II, principium allegatum libertati positive obstat et evincit in ordine ad prudentem normam agendi standum esse pro lege donec factum cessationis certo probetur. Idem valet de principio possessionis nunc allegandum.

II. Ex principio: *In dubio melior est conditio possidentis.* Etenim in dubio utrumque aequali: a) dubium postveniens non potest evertere certitudinem praeexisitentem; b) propter merum dubium res non sunt mutandae ab antiquo statu; c) ceteris paribus, possessio tribuit ius insistendi rei. Ergo in dubio facti postveniente, praevalet certitudo legis praeexisistens. (Cardenas, *disp.* 56. n. 1069.) Recole n. 89. II.

Neque dicatur principium possessionis valere pro dubiis negativis tantum; nam valet etiam pro positivis. Ita constat: a) ex ipsis eius terminis; sic enim sonabat in Regula Iuris 65. in 6: «*In pari causa potior est conditio possidentis,*» et in Regula Iuris Romani 123: «*In pari causa possessor potior haberi debet.*» Paritas causae denotat aequalem probabilitatem, potius quam aequalem defectum motivorum. — b) Omnibus patentibus valet pro dubiis positivis in materia iustitiae, quidni in materia aliarum virtutem? Eaedem valet rationes. (n. 26. 35.) — c) Dubium positivum, haud minus quam negativum, impedit assensum seu dictamen practicum; quinimo, inquit Sanchez<sup>2)</sup>: «*dubium positivum solum veram dubii rationem habet, quia merito ac prudenter dubitatur;*» proinde est dubium *strictum*, quod *isdem* principiis reflexis, ergo etiam principio possessionis, deponendum est. Recole dicta n. 92.

III. *Argumento a pari.* Iura legis et libertatis in *pari causa* aequalia sint oportet. Ergo, si in dubio invincibili de legis promulgatione praevalet libertas praeexisistens, pariter in dubio invincibili de legis cessatione praevalere debet lex praeexisistens. (*Dissert.* anni 1757. n. 25.)

<sup>1)</sup> Hisce non obstat id quod dictum est supra, factum impletionis legis saepissime praesumi posse. Hoc enim est per accidens, quatenus tunc *ex alio fonte particulari* factum sufficienter praesumitur indeque *dubium ammetitur*.

<sup>2)</sup> *Decal. lib. 1. cap. 7. n. 17.*

112. — Probatur propositio ex auctoritate. I. *Ex auctoritate multorum theologorum ante S. Alfonsum.* Propositionem tradunt Suarez. *De legib. lib. 6. cap. 9. n. 3 et 12;* Terillus. *De consc. probab. qu. 23. n. 48;* Fillucius. *tr. 21. n. 159. 163;* Sanch. *Decal. lib. I. I. cap. 10. n. 34. 35;* Croix. *lib. 1. n. 597. 598;* Sporer. *tr. 1. n. 80. 83. 85;* Elbel. *n. 152 et 169;* Salmant. *tr. 11. cap. 2. n. 112;* Castropalaus. *tr. 1. disp. 3. punct. 7. n. 6. 7, punct. 8. n. 4;* Ant. Mayr. *De act. hum. n. 263;* Roncaglia. *tr. qu. 2. cap. 5. qu. 3. et reg. 3;* Voit. *n. 39. 587.*

II. *Ex auctoritate S. Alfonsi.* Hanc enim thesim S. Doctor, seipsum reformans, expressis verbis adstruit et principalioribus casibus practicis applicat, ut materiae voti, recitationi Officii, adimpletioni satisfactionis sacramentalis; cfr. *Theol. mor. lib. 1. n. 26. sequ., lib. 6. n. 477.* Textus contrarii aut apparerent tantum tales sunt aut ex ipsa intentione S. Doctoris corrigendi sunt; quia ratio cui innititur, possessio scil. legis, omnibus casibus communis est.<sup>1)</sup>

III. *Ex auctoritate theologorum post S. Alfonsum.* Ita v. g. diserte docent Marc. *n. 96;* Beaudouin-Gardeil. *p. 110. sequ.;* Sweens. *n. 719;* d'Annibale. *I. n. 262. 264;* Dumas. *Theol. Mor. I. thes. 25;* aliisque plures ex iis, qui enumerantur infra *n. 116. III.*

IV. *Confirmatur demum ex Codice Iuris Canonici.* Ibi pro legibus ecclesiasticis normae traduntur, thesi nostrae omnino conformes. Statuit enim can. 23: « In dubio revocatio legis praeexsistentis non praesumitur, sed leges posteriores ad priores trahendae sunt et his, quantum fieri possit, conciliandae. » Et can. 6. 4º: « In dubio num aliquod canonum praescriptum cum veteri iure discrepet, a veteri iure non est recedendum. »

113. — Solutio obiectionum. *Obiic.* 1º Si lex dubia quoad cessationem obligat, sequitur legem dubiam non minus quam legem certam obligare; atqui hoc non videtur rationabile: ergo non obligat.

*Resp.* 1º *Retorq. argum.* Si lex dubie promulgata non obligat, sequitur libertatem dubiam aequa ac certam liberare, quod non magis rationabile videtur.

2º *Dist. mai. et nego min.* Lex quae dubie desiit, certo obligat non *directe* vi propria, sed *indirecte* vi principii reflexi accidentis; hoc autem omnino rationabile est, cum tale principium in dubio formet dictamen practice certum.

*Obiic.* 2º Si lex requirit certam notitiam seu promulgationem, ut obligare incipiat, necessario consequitur cessare obligationem, quumprimum deficit certa notitia legis, etiam si hoc fit per dubium de cessatione legis; quemadmodum enim obligatio pendet a notitia certa legis, ita etiam continuatio obligationis pendet a continuatione certae eiusdem notitiae.

*Resp. Nego consequent.*, et dico: si lex requirit certam promulgationem ut obligare incipiat, quia in dubio de promulgatione possessio stat pro libertate, necessario consequitur, quando lex semel est in possessione, non cessare eius obligationem, donec constet de facto cessationis. Quemadmodum enim obligationis initium pendet a certa legis notitia, ita quoque obligationis praeexsistentis cessatio pendet a certa cessationis notitia.

*Obiic.* 3º Obligatio, cui probabiliter satisfactum est, non est amplius obligatio certa, sed dubia; atqui non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet; ergo.

<sup>1)</sup> Cfr. Gaudé. *de mor. syst. S. Alf.* p. 100 sequ.

*Resp. Dist. mai.* Obligatio evasit speculative dubia, *concedo; practice*, si factum satisfactionis est stricte dubium, *subdist.*: secundum quid seu considerata sola lege, *conc.*; simpliciter seu vi legis quae est in possessione, *nego*; etenim mere dubie facta adimpletio non exstinguit obligationem certe contractam, sicut probavimus n. 110. - Praeterea, prudens et aequus legislator merito exigere censemur ut id praestetur, quo obligationi prudenter satisfiat; sed qui in dubio stricto versatur circa ipsam facti positionem, prudenter iudicare nequit se satisfecisse; nam «ex aequalibus probabilitatibus aliud quam merum dubium non resultat,» ait S. Alf. n. 68. cum D. Thoma; ergo non liberatur. Hinc axioma communiter receptum: «Non satisfit obligationi certae per impletionem dubiam.»

*Obiic. 4º* Eum, qui probabilitate alicui obligationi satisfecit, ad nihil ultra teneri, hisce argumentis conatur probare Gury. n. 80. edit. 17:

1º Probabilitas gravi et prudenti iudicio fulcitur; quisquis ergo probabilitate satisfecit obligationi, illud egit quod prudenti iudicio sufficit ad praeceptum implendum. Atqui neque aequitas patitur ut plus exigatur quam quod prudenter creditur sufficiens ad implendum praeceptum, neque plus aliquid velle merito censemur prudens et aequus legislator. Ergo.

2º Quaelibet exactio ultra id, quod probabilitate sufficit ad implendum praeceptum, contra se habet prudentis huius iudicij probabilitatem. Atqui exactio, contra se habens iudicium probabile, evadit, quoad hoc, obligatio seu lex incerta, quae vim obligandi habere non potest. Ergo.

3º *Ab absurdo.* Si enim obligationi certae itidem satisfactionem postules, neminem per probabilem aut probabiliorem, sed ne per probabilissimam quidem satisfactionem praeceptum dici poterit impletum; nam semper locus superest reponendi: certam esse obligationem, satisfactionem vero incertam seu minus certam. Atqui hoc recta via ad damnatum Tutilorismum adducit. Ergo.

*Resp.* Si allata argumenta supponant probabilitatem *unicam*, plane consentimus. Si supponant probabilitatem *pro et contra*, seu strictum dubium positivum, tunc ad modum istum argumentandi reponimus:

*Ad 1<sup>um</sup> et 2<sup>um</sup>.* *Retorq. argum.* 1º Probabilitas gravi et prudenti iudicio fulcitur; quisquis ergo probabilitate non satisfecit obligationi, illud egit, quod prudenti iudicio non sufficit ad praeceptum implendum. Atqui aequitas postulat ut id exigatur, quod prudenter creditur requiri ad implendum praeceptum idque velle merito censemur prudens et aequus legislator. Ergo.

2º Exactio illius, quod probabilitate requiritur ad implendum praeceptum, pro se habet prudentis huius iudicij probabilitatem. Atqui exactio, pro se habens iudicium probabile, evadit, quoad hoc, exactio prudens, atque ideo vim obligandi habet. Ergo.

*Ad 3<sup>um</sup> Nego consequent.* Si satisfactione quoad facti existentiam *unice* probabilis est, ea quasi moraliter certa fit, ut ostendimus n. 77-78 et 91; consequenter ne minimum quidem damnati Tutilorismi periculum subest. Verum nobis contra videntur allata adversarii argumenta recta via ad Laximum conducere, siquidem eo tendunt, ut e dubio ultimum conscientiae dictamen efforment, atque innituntur falso intellectu principii illius: qui probabiliter agit, prudenter agit. Cfr. supra n. 92<sup>bis</sup>.

### PROPOSITIO III.

114. — Non licet sequi opinionem minus probabilem pro libertate, relicita notabiliter seu certo probabiliori pro lege.

*Explicatur propositio.* Dico: *relicita CERTO probabiliori*, i. e. quae, facta proportionata veritatis inquisitione, ipsi operanti sine ulla haesitatione, ideoque evidenter et manifeste, probabilius apparent.

Dico insuper: *relicta NOTABILITER probabili pro lege*: nam, ut teneamur sequi opinionem legi faventem, non sufficit quod alteram utecumque excedat, sed oportet ut *notabiliter* excedat.

Rationes sunt: 1º Ut de excessu probabilitatis *certo* constet. Intellexus quippe hominis peccato obscuratus non adeo perspicax est, praesertim in re morali, ut firmiter et absque errandi formidine modicam praeponderantiam unius opinionis supra alteram percipere queat. Unde excessus probabilitatis, nisi notabilis sit, evidens esse nequit; si autem manifestus et luce clarior est, certo notabilis erit.

2º Ut opinio probabilior pertrahat *assensum* opinativum. Etenim in posito concursu opinionum *situs excessus* ponderis vim habet attrahendi assensum; atqui assensus prudenter non datur, nisi motivo gravi, uti S. Alf. quoque perhibet: «Si notabilis non esset excessus, non posset deprimere lancem;» quod enim parum est, inquit S. Thomas<sup>1)</sup>, ratio non accipit; ergo necesse est ut opinio probabilior gravi pondere superet alteram; consequenter magnus requiritur excessus, qui nimurum *per se probabilitatem faciat*, legemque moraliter probet.<sup>2)</sup> Unde notabilis excessus ille est, qui solus meretur assensum opinativum. Sufficit igitur excessus *gravis* qui *certo percipi* possit.

3º Ut *extra dubium* versemur. Etenim, si sententia pro lege alteram oppositam non exsuperat notabiliter, ambae sententiae sunt fere aequae probabiles. Atqui tunc versamur in dubio stricto, in quo lex non obligat. Ergo ad obligandum, exsuperantia debet procul dubio *notabilis* esse.<sup>3)</sup>

**115. — Probatur propositio ex ratione. I. Ex obligatione sectandi veritatem.** Ipsa lege naturae tenetur homo, ad honeste operandum, pro viribus contendere, ut omnes actiones suas ad veritatem conformet. Atqui, qui in concursu opinionis quam certo et multo probabilius *veram agnovit*, sequitur opinionem contrariam quam certo et multo probabilius *falsam* iudicat, non consecutatur pro viribus veritatem, sed potius falsitatem elitit. Ergo offendit legem naturae. Consequenter sistema docens hoc licitum esse, verum esse nequit, sed verum est illud sistema moderatum, quod supradictam legem naturae fideliter sequitur.<sup>4)</sup>

**II. Ex sufficienti opinionis certitudine.** Ea certitudo de promulgatione legis est sufficiens ut homo legis observationi adstringatur, quae sufficiens censeri debeat spectata natura materiae moralis; nam, ut ait D. Thomas, «modus manifestandi veritatem in qualibet scientia debet esse conveniens

<sup>1)</sup> 1. 2. qu. 14. a. 4.

<sup>2)</sup> Hoc sensu S. Alf. scripsit sufficere quod opinio sit *uno gradu* probabilior, gradu nempe qui *per se* solidam probabilitatem faciat; nam secus excessus gradum probabilitatis non efficit. Cfr. S. Alf. n. 54 et 66; H. A. n. 34. 36. 77; *Confess. dirett. cap. 1.* 19; necnon *Dissertationes omnes*, quas inde ab anno 1761 scripsit. Item *Epist. 8 Aug. 1769*. Sic, quoque primi S. Doctoris discipuli, Basso. C. SS. R. *Riflessioni critiche*, pag. 17 et 57; Panzuti. C. SS. R. *Theol. mor. lib. 1.* n. 26 et 27 et *Casus eorumque resolut. cas. III.* Accedit Cardenas. S. J. *disp. 46.* n. 312. — Cfr. Vindic. Alf. *tom. I.* pag. 50. seqq. *Edit. 2\**; Gaudé. *De mor. system. cap. 1.*

<sup>3)</sup> Cfr. S. Alf. n. 56. 58. 59. 73. H. A. n. 34. 77; *Corrisp. spec. n. 219*; *Diss. anni 1765. c. 1. n. 2*; *Corrisp. spec. n. 188*.

<sup>4)</sup> En quomodo S. Alfonso (n. 54) haec enentiat: «Dico quod si opinio, quae stat pro lege, videatur certe probabilior, ipsam omnino sectari tenemur; nec possumus tunc oppositam, quae stat pro libertate amplecti. Ratio, quia ad licite operandum, debemus in rebus dubiis veritatem inquirere et sequi; at ubi veritas clare inveniri nequit, tenemur amplecti saltem opinionem illam quae propius ad veritatem accedit, qualis est opinio probabilior». Cfr. *ibidem n. 62 et 88*, et *Dich. del Sist. n. 2*. — Quanti S. Doctor fecerit hoc argumentum, patet ex epistola eius ad editorem Remondini (*Corresp. spec. n. 308*). Cfr. *Commer. Jahrbuch f. Phil.* 1908, p. 474.

ei quod subiicitur sicut materia in illa scientia »: nam « certitudo non potest inveniri nec est requirenda similiter in omnibus. »<sup>1)</sup> Atqui, spectata natura materiae moralis, sufficiens censeri debet certitudo illa quae habetur in opinione certo probabiliori, nam in materia morali seu actibus humanis, ut iterum ait D. Thomas, non potest haberis certitudo demonstrativa, eo quod sunt circa contingentia et variabilia: et ideo « sufficit probabilis certitudo quae ut in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat. »<sup>2)</sup> Sicut ergo iuxta supra dicta (n. 78. II) haec certitudo sufficit pro conscientia *permissiva*, pari modo sufficit pro conscientia *praeceptiva* et *prohibitiva*. Hinc iam nulla ratio habetur cur principium reflexum in favorem libertatis adhiberi possit, quum in statu opinionis iam conscientia directe et sufficienter certa habeatur.<sup>3)</sup>

*Confirmatur hoc argumentum ex sensu communi.* Nemo enim prudens, disputationum inter theologos ignarus, diceret sibi licitum esse peragere quod ipsi, omnibus perpensis, certo probabilius obiective dishonestum et illicitum quam honestum et licitum esse constaret.<sup>4)</sup>

III. *Ex dubiis collective sumptis.* Etenim, in praxi doctrinae nostrae opposita, numerus casuum dubiorum in quibus honestas obiectiva non servaretur nec servanda esset, certo multo maior esset quam numerus casuum dubiorum in quibus servaretur et servanda esset. Iamvero, talis usus et extensio principiorum reflexorum nullo motivo sufficienti cohonestari neque a Deo, veritatis legumque suarum amatore, permitti, imo fini legum contradicere videtur. Cfr. Rassler. *Norma recti* n. 1123 seqq.

IV. *Ex eo quod doctrina contraria saltem dubia dicenda sit.* Etenim spectatis argumentis iam prolatis, atque auctoritate extrinseca quae secundum mox dicenda thesi S. Alfonsi favet, doctrina contraria saltem dubia dicenda est. Atqui, uti ex supra dictis (n. 77. 78. III) atque ex ipsa natura rei patet, doctrina quae permittit usum principii reflexi in favorem libertatis, *certa* esse debet; secus enim mens in dubio practico manet et periculum formaliter peccandi haud aufertur. Ergo doctrina contraria in casu adhiberi nequit.

<sup>1)</sup> In lib. 1. *Ethic.* lect. 3.

<sup>2)</sup> 2. 2. qu. 70. a. 2. Cfr. et 1. 2. qu. 96. a. 1. ad 3.

<sup>3)</sup> S. Alfonsus idem argumentum innuit quando dicit: « Cum opinio pro lege est certa et sine ulla haesitatione probabilior,... opinio tutior non erit iam dubia (intelligendo de dubio stricte sumpto...) sed est moraliter aut quasi moraliter certa, saltem nequit dici amplius stricte dubia... tunc voluntas nequit pruenter et sine culpa parti minus tutae adhaerere » (ed. 6<sup>a</sup> et 7<sup>a</sup> *Theol. Mor.* n. 55, ed. Gaudé. n. 54 in nota marg.). — Argumentum autem maius adhuc robur accipit, si quis admittat (uti auctor in praecedentibus editionibus) sententiam certo minus probabilem respectu tutioris necessario etiam speculative habendam esse tenuiter vel saltem dubie probabilem. Quum vero hac de re disputetur, in argumentatione nostra ab hac quaestione abstrahitur. Obiter vero notasse liecat, aequiprobabilistam ex eo quod certo probabiliori solum *dubie* probabilem opponi dicat, nondum convenire cum puro probabilista, etsi et hic *dubie* probabilem relictat. Etenim, aequiprobabilistae *ipsa certa praeponderantia* alterius sententiae argumentum et criterium est dubiae probabilitatis sententiae oppositae. (Cfr. S. Alf. n. 62). Probabilista vero probabilitatem sententiae unice ex rationibus (etsi inter se comparatis), quae pro utraque parte militant, dijudicat, nec a certa *praepondentia* unius *prae alia* sententia argumentum sumit ultimam hanc iam esse dubie probabilem.

<sup>4)</sup> Argumentum hoc ex sufficienti opinionis certitudine clare expositum habes apud Delerue. *Le système moral de S. Alphonse.* p. 155-167.

Neque opponatur etiam sententiam nostram esse dubiam; in stricto autem dubio de obligatione sequendi certo probabiliorem, nullam adesse huiusmodi obligationem, quum iuxta ipsos etiam aequiprobabilistas lex stricte dubia non teneat. Nam, etiamsi hoc principium merito applicaretur casni nostro (quod in dubium vocatur, quum agatur, non de dubio aliquo particulari, sed de principio quodam generali ad dubia ipsa solvenda) — exinde solummodo sequeretur eum qui dubitaret de obligatione sequendi certo probabiliorem directe non teneri ad servandam legem certo probabiliorem, quia norma generalis hac de re ipsi stricte dubia est; indirecte vero tenetur quia in dubio practico remanet, quum desit ipsi principium reflexum *certum*, quod declarat ipsi licitatem sequendi certo minus probabilem.

**116. — Probatur propositio ex auctoritate. I. Ex auctoritate S. Thomae.** S. Doctoris nostri doctrinae omnino favet Doctor Angelicus, quandoquidem ab una parte tradit dubium tunc evenire, cum rationes aequaliter vel quasi aequaliter movent ad utramque partem, ut pluries notavimus: unde ulro sequitur, quod, si rationes multo fortius movent ad unam partem, extra dubitationis statum ideoque in statu *opinionis* et certitudinis probabilis versemur; ab altera vero parte affirmat in actibus humanis non postulari certitudinem strictam, sed probabilem sufficere prout retulimus n. 78. Quae duo cum thesi S. Alfonsi omnino congruunt. Quando enim dicit S. Thomas in actibus humanis sufficere certitudinem probabilem, hoc intelligendum est non tantum de regula actuum humanorum pro libertate morali, verum etiam pro *obligatione* morali, quum indistincte loquatur et ratio eius universalis sit.

Verum est quod S. Thomas *De verit qu. 17. art. 3* doceat: « Nullus ligatur per praecptum aliquod, nisi mediante *scientia* illius praecepti. » Sed in *art. 2. ad 2* explicat qualēm scientiam intendat: « Cum dico conscientiam, non dico vel implico scientiam solummodo *stricte* acceptam, prout est tantum verorum, sed scientiam *largo modo* acceptam pro quacumque notitia, secundum quod omne quod novimus, communi usu loquendi scire dicimus. » Si talis notitia sufficit ad ligandum, sufficientem certitudinem habemus in sententia, quae prudentem dubitationem excludit, uti diximus n. 77 et 78. Stat ergo S. Thomas pro thesi nostra.

Quibus omnino concordant ea quae habet S. Thomas alio in loco: « Ex conscientia obligatur aliquis ad peccatum, sive habeat certam fidem de contrario eius quod agit, sive etiam habeat *opinionem* cum aliqua dubitatione. » (*Quodlib. VIII, qu. 6. art. 13.*)

**II. Ex auctoritate S. Alfonsi.** Etenim, saltem per viginti quinque ultimos suaे vitae annos S. Alfonsus constanter huic thesi adhaesit atque contrariam esse laxam nec teneri posse edixit. (H. A. n. 31.) Quanti autem in re morali valeat auctoritas Doctoris nostri, supra (n. 95.) iam vidimus atque pro ipso systemate morali infra (n. 118.) ulterius evolvemus.

In processu scientifico S. Alfonsi tres periodos distinguere licet. Prima est periodus *probabilioristica* (ab anno 1726 usque ad 1735 circa), in qua, magistros suos secutus, acerimus, ut ipse ait, probabiliorismi defensor exstitit. Numquam tamen aliiquid in favorem istius systematis scripsit.

Altera est periodus inquisitionis potius et *vagi cuiusdam probabilismi* (usque ad annum 1760 circiter). Experientia enim in Missionibus facta, ipso testante, id effecit ut probabiliorismo valedixerit. Imo, duas dissertationes conscripsit, unam anno 1749, alteram anno 1755, in quibus omni conatu evincere nititur licitatem opinionis solide

probabilis, in concursu etiam probabilius; distinctio autem inter dubie et certo probabilem ei nondum occurrit. Haud unum tamen habetur testimonium vagum hunc probabilismum ei nondum perfecte satisfecisse.<sup>1)</sup> In editionibus suae Theologiae moralis huius temporis minus probabilem haud defendit, sed se ab ea «praescindere» expresse testatur, atque sese limitat ad *Tutiorismi* reiectionem et defensionem liceitatis sententiae *probabilioris*.

Tertia demum periodus est periodus *aequiprobabilistica*, in qua, vestigiis Eusebii Amort, quem hac in re magistrum suum appellat, inhaerens, clare distinguit inter dubie seu paulo et certo seu notabiliter probabilem atque hanc sequendam esse docet. Insuper, principium possessionis dubius etiam positivis applicans, distinctionem inter dubium strictum de promulgatione atque dubium strictum de cessatione legis invexit.<sup>2)</sup> — Incepit haec periodus saltem eo anno quo Episcopus creabatur (anno 1762); atque exinde usque ad finem vitae per 25 annos sistema ita perfectum, in variis dissertationibus atque in novis editionibus Theologiae moralis, sicut et in pluribus epistolis privatis strenue defendit atque omni modo elucidavit.<sup>3)</sup>

Patet autem, sistema, prout in hac ultima periodo a S. Doctore propositum fuit, esse eius sistema compleatum. Illud enim est, quod suis tenendum iubet, ne secus verum laxismum amplectantur.<sup>4)</sup> — Neque ob impugnationes vel mutatas temporum circumstantias S. Alfonsus sistema suum tali modo complevit. Nam iam ante istas impugnationes et circumstantias sistema perfecit atque, ut ex eius litteris privatis et maxime intimis luculenter constat, simplicem probabilismum ex plena animi persuasione reiecit.<sup>5)</sup> Secus etiam in ipsa sua Theologia morali non cum tanto zelo aequiprobabilismum defendisset, sed sicut antea sese ad reiectionem tutiorismi restrinxisset, dum aequiprobabilismum etiam ibi defendendo sese odio rigoristarum exposuit.<sup>6)</sup> — Absurdum autem est dicere eum senectute confectum vel scrupulis adactum ita egisse, quippe qui sistema perfecerit eo tempore quo laboriosissimum tredecim annorum Episcopatum incepit; quique exinde adhuc viginti circiter opera de diversissimis materiis publicaverit. — Neque tandem ei opus fuit revocare expresse priores dissertationes, utpote anonymas potius et oblivioni traditas atque ambiguas et incompletas, magis quam doctrinae posteriori perfecte oppositas. — Nec necesse erat sententias particulares Theologiae suae moralis mutare. Etenim, iam inde a secunda editione testatur: «ut sententias *veritati conformiores* seligerem..., non parum laboris impendi»<sup>7)</sup>, atque insuper elenchos quaestionum a se reformatarum sedulo publicavit. Imo, postea testatus est: «Multas opiniones, a multis auctoribus approbatas, equidem in meo *Opere Morali* reprobavi, utpote certe minus probabiles»<sup>8)</sup>; quae ultima ratio aequiprobabilismo, non simplici probabilismo propria est. — Neque dicatum S. Alfonsum in hac ultima periodo *apparenter tantum* a simplici probabilismo differre, quum etiam simplex probabilismus, sicut S. Alfonsus, reiiciat usum sententiae dubie probabilis. Nam S. Alfonso omnis sententia pro praxi fit dubie saltem probabilis EO IP SO quod opposita sit certo probabilius; id quod simplices probabilistae praecise infitantur.

Probe autem notandum est, approbationem Ecclesiae *totam* unice pertinere ad probabilismum *moderatum* S. Alfonsi; nam ex parte non pertinet ad probabilismum *absolu-*

<sup>1)</sup> Cfr. Gaudé. *de Syst. mor.* p. 12.

<sup>2)</sup> Gaudé, *I. c.* p. 99.

<sup>3)</sup> Gaudé, *I. c.* p. 20. *sequ.*; Ter Haar. *Innoc. XI. Decr. Hist.* p. 99-106.

<sup>4)</sup> Ep. 25 Maii 1767.

<sup>5)</sup> Lettere III. n. 209. n. 188. n. 230. n. 217. n. 818. Ter Haar. *Hist. Decreti.* p. 43. 102 *sq.*

<sup>6)</sup> Cfr. Gaudé. *o. c.* p. 134. *sequ.*, ubi haec clare et late probantur. Cfr. etiam Delerue. *Le syst. mor. de S. Alph.* p. 40 *sequ.* Hinc sustineri non possunt quae hac de re leguntur in *Dictionnaire Apol. Vº. Probabilisme*.

<sup>7)</sup> Cfr. Monitum 2<sup>de</sup> editioni praefixum. Ex dictis quoque patet cur, quando S. Alfonsus in Theologia sua moralis unam sententiam *probabilem* (id est in praxi permissam), alteram *probabilem* vocat, intellegat *dubie* aut *paulo* *probabilem*, uti supra (n. 95. III. sub. 7º) iam monuimus.

<sup>8)</sup> Dell'uso moderato dell'op. prob. (anni 1765). cap. 3. n. 81.

tum quippe qui moderationes, quas S. Alfonsus apposuit, non admittat. Nihilominus probabilistae absoluti illam totam sibi applicant, dicentes opusculum anni 1755 *una cum reliquis* Alfonsi operibus approbatum fuisse; sed respondeatur: eatenus illud approbatum fuit, quatenus per reliquam et posteriorem eius doctrinam temperatum est, non aliter. Nonne perperam quis affirmaret sententias, quas S. Doctor postea reformavit, una cum reliquis approbatas fuisse?

III. *Ex auctoritate ingentis numeri aliorum theologorum.* Etenim: 1º inde a S. Thoma usque ad Bartholomaeum Medinam, qui anno 1577 omnino primus tuitus est licitum usum opinionis *minus probabilis*, theologi communiter docuerunt, opinionem *probabiliorum* esse sequendam. Id testantur eiusdem aetatis theologi.

Sic e. g. Ludovicus Lopez ait: « Scio communem esse sententiam Soti, Cordubae, Caietani, Conradi, Navarri, tenentium non sat esse probabilem opinionem sequi, sed probabiliorum esse sectandam, contra Medinam dicentem satis esse sequi probabilem. » (*Instruct. conc. part. 1. cap. 120. concl. 2.*) Item Antonius Corduba, qui anno 1571 scripsit: « Quando opinio *probabilior* definit quod secundum se a parte rei tutum est, tunc necessario talis opinio servanda est;... et in hoc omnes Doctores consentiunt. » (*Quaest. theol. lib. 2. qu. 3.*)<sup>1)</sup>

2º Paulatim vero probabilismus in scholas invasit et per plura decennia quasi communiter acceptatus fuit. Atvero, quia thesis illa de opinione *minus probabili* ambigua et vaga erat atque ideo facile ad laxismum ducebat, iam brevi post eius introductionem usque ad S. Alfonsum multi theologi, et si saepe communi nomine probabilistarum vocentur, hanc thesim eodem modo restrinxerunt ac S. Alfonsus, quum explicite usum opinionis *certe* vel *notabiliter* vel *multo minus probabilis* excludant.

Ita v. g. Suarez qui hanc regulam statuit: « *Maior* probabilitas est quaedam moralis certitudo, si excessus probabilitatis *certus* sit. » (*De Legibus, lib. 3. qu. 5. n. 5.*) Item Rebello: « Certum est, neminem salva conscientia sequi posse opinionem quae *minus probabilis* ab eo cognoscitur. » (*De obligat. iust. pars 1. lib. 3. qu. 5. n. 5.*) Inter hos probabilistas moderatos vel aequiprobabilistas recensendi sunt: de Valentia, de Ponte, Raynaldus, Burgos de Paz, Sylvius, Mastrius, de Arauxo, Herinex, Passerini, Esparza, Junius de Aranda, Daniel, Schiara, Kresslinger, Biner, Terillus, Rassler, Amort, Ant. Mayr, Schmier, Roncaglia, Viva, Perez, Cotonius, Prado, de Ruvere, Manhart, Widmann, Pallavicini.<sup>2)</sup> — De hisce auctoribus dicit S. Alf. in Ep. 25 Maii 1767: « Quando opinio pro lege est notabiliter et longe probabilior, tunc ipsi auctores nostri probabilistae dicunt sequendam esse opinionem pro lege, eo quod tunc lex saltem moraliter iam satis promulgata est. »

Idem iam asseveraverat Esparza. (*l. 3 app. ad qu. 3. a. 152 et 228.*) Id ipsum testatur Thyrus Gonzales, *De recto usu opin. prob. dissert. 3. n. 4.*: « Doctores benigni huius saeculi, affirmantes licitum esse sequi opinionem probabilem minus tutam in concursu probabilioris et tutioris, loquuntur, quando excessus probabilitatis *non est manifestus et evidens*, sed *dubius*, eo quod *non sit magnus*, sed *exiguus*; ac proinde loquuntur de opinione probabilis minus tuta, quae sit ferme aequalis probabilitatis cum tutiore. Quae expositio licet recte accommodetur gravioribus Doctoribus benignis, non tamen omnibus. »

<sup>1)</sup> Cfr. *Dict. de Théol. cath. V. Probabilisme.* (Deman).

<sup>2)</sup> Cfr. Ter Haat. *De syst. mor. antiquorum probabilistarum*, ubi horum theologorum textus fuse citantur: ex quo opere patet errare probabilistas illos nostrae aetatis qui asserunt probabilismum benignorem esse antiquorum probabilistarum communem sententiam.

3º Post S. Alfonsum, cuius praeincipue opera tutiorismus et probabiliorismus paulatim e scholis exsulavit, theologi tanto numero S. Doctorem secuti sunt, ut Ern. Muller versus annum 1870 scribere potuerit: « Aequiprobabilismus hodie in scholis *fere ubique* docetur » (*Theol. mor. tom. I. lib. 1. § 78. n. 3.*), et Card. D'Annibale: « Aequiprobabilismum... profitentur theologi *fere omnes.* » (*Summula. tom. I. § 259. n. 21.*) Et etiam hac recenti aetate multi sunt qui, reiecto probabilismo absoluto, thesi nostrae adhaerent.

Ex iis qui *post* S. Doctorem aequiprobabilismum tuentur, hos dumtaxat recensere licet: Panzuti, Scravini, Del Vecchio, Gabriel a Varceno, Ninzatti, Berardi; Martin, Benger, Müller, Pruner, Schwane, Simar, Rohling; Gousset, Martinet, Grandelaude, Marc, Vincent; Konings, Van der Moeren.<sup>1)</sup> Hisce addantur plures ex tempore adhuc recentiori, uti Beaudouin-Gardeil<sup>2)</sup>, Farges<sup>3)</sup>, Pégues<sup>4)</sup>, Sertillanges<sup>5)</sup>, Beysens<sup>6)</sup>, Ter Haar<sup>7)</sup>, Jansen<sup>8)</sup>, Wouters<sup>9)</sup>, Schilling<sup>10)</sup>, Dumas<sup>11)</sup>, Janssens<sup>12)</sup> aliquie.<sup>13)</sup>.

4º Hisce accedit auctoritas omnium eorum qui, ut *probabilioristae*, normae etiam severiori adhaerent, quos inter multi quoque sunt graves theologi. Hi enim sicuti ne in dubio quidem *stricto* libertatem a legis obseruantia adstruunt, a fortiori eam in casu *nostro* respnuunt idque iisdem *fere* argumentis innixi quibus nos innitimus; ideoque pondere auctoritatis suaे thesim nostram confirmant.

Ex hisce omnibus concludendum est inde a saeculo XIII usque ad aetatem nostram multo plures esse theologos qui huic nostrae tertiae propositioni consentiunt quam qui eidem adversantur, ita ut nostra sententia longe communior dicenda sit.

IV. *Ex nonnullis actis Romanorum Pontificum.* Haud semel modus agendi Rom. Pontificum talis fuit, qui doctrinae nostrae omnino faveat.

1º Alexander VII hortatu suo effecit, ut Ordo Dominicanorum, anno 1656 Capitulo generali congregato, opinioni minus probabili bellum indixerit.

2º Innocentius XI decreto S. Officii 26 Iunii 1680, Patri Thyrso Gonzales S. J. « mandavit, ut ipse libere et intrepide praedicet, doceat et calamo defendat opinionem magis probabilem, necnon viriliter impugnet sententiam eorum, qui asserunt, quod in concursu *minus probabilis* opinionis cum *probabiliori sic cognita et iudicata*, licitum sit sequi *minus probabilem*, eumque certum faciat, quod quidquid favore opinionis magis probabilis egerit et scripserit, gratum erit Sanctitati Suae ».

<sup>1)</sup> Cfr. auct. in ed. 8<sup>a</sup>.

<sup>2)</sup> *Tract. de Conse.*

<sup>3)</sup> *La liberté et le devoir.* VIII. p. 215.

<sup>4)</sup> *Somme théol.* tom. 6. pag. 582.

<sup>5)</sup> *La philos. morale de S. Thomas.* p. 552.

<sup>6)</sup> *Ethiek.* I. n. 34 sequ.

<sup>7)</sup> *Hist. Decr. Innoc. XI.*

<sup>8)</sup> *La question liquoriennne. Geschichte und Kritik im Dienste des minusprobabilis.*

<sup>9)</sup> *De syst. mor. diss.*<sup>2</sup>; *De minusprobabilismo.*

<sup>10)</sup> *Mora theologie* n. 93. *in fine.*

<sup>11)</sup> *Theol. mor. Thes.* 25.

<sup>12)</sup> *Phil. morale.* I. p. 129.

<sup>13)</sup> Cfr. apud Wouters. *De syst. mor. diss.*<sup>2</sup>, pag. 38.

3º Clemens XI anno 1702 Praeposito Generali Soc. Iesu significavit «rem gratissimam Sanctitati Suae facturos Superiores Societatis, si praestent, ut Jesuitae abstineant a docenda et defendenda sententia quae asserit *licitum esse usum opinionis minus probabilis et minus tutae.*»<sup>1)</sup>

4º Quid alii Rom. Pontifices post S. Alfonsum in favorem ipsius doctrinae fecerint, infra n. 118. 119 videbimus.

117. — **Solutio obiectionum.** *Obiic.* 1º Vera opinionis [probabilitas] consistit in eo, quod pro se habeat motivum *grave*, et contra se nihil *certi* habeat. Atqui haec convenient etiam minus probabili in concursu multo probabilioris; siquidem omnis probabilitas essentialiter incerta est. Ergo potest opinio vere probabilis esse in concursu notabiliter probabilioris.

*Resp.* 1º *Dist. mai.* Quod contra se nihil *certi* habeat, certitudine ne *lata* quidem, quae aliquam prudentem formidinem erroris relinquunt, *concedo*; secus, *nego*. In rebus enim moralibus, ut diximus cum S. Thoma, non exposcitur certitudo stricta, sed larga sufficit, quae gravem formidinem erroris excludit. Si ita non esset, prorsus non liceret sequi opinionem *unice* probabilem.

*Resp.* 2º *Dist. mai.* Vera probabilitas in sensu *logico*, *transeat*; in sensu *ethico*, ita ut haec probabilitas, mediante principio reflexo, ad primum sufficiat, etiamsi opposita est certo aut multo gravior, *nego*; eam enim ad primum non sufficere constat ex argumentis supra allatis.

*Instant.* 2º Probabilitas maior non elidit minorem; nam plus et minus non variat speciem.

*Resp.* *Transeat*; sed etiamsi certo minus probabilis maneat speculative seu sensu logico probabilis, practice seu sensu ethico probabilis dici nequit, quum opposita iam sufficienter certa sit ut obligationem inducat.

*Obiic.* 3º Probabilismus simplex saltem toleratur ab Ecclesia. Atqui, si probabilismus esset falsus, Ecclesia illum tolerare non posset, sed condemnare debuisse quod est falsitatis in eo, quia duceret ad morum laxitatem et ad ruinam animarum. Ergo, tolerando, saltem aequivalenter illud pro vero habet.

*Resp.* *Mai. transeat. Dist. min.* Quatenus de facto notabiliter nocivus fieret, *conc.*; hinc Ecclesia olim plures directe vel indirecte puro probabilismo sese opposuit; secus, *nego*; ex hoc enim quod Ecclesia aliquod sistema falsum non reiicit, quod tamen per accidens nocivum influxum non ita exercet, ad summum concludere licet, Ecclesiam hucusque nullum definitivum iudicium de eo habere, nequaquam vero, Ecclesiam illud positive tamquam undequaque verum et prudens accipere: idque eo vel minus, quando Ecclesia et alia systemata tolerat vel etiam commendavit. Quare, quamdiu sequaces simplicis probabilismi, non obstante thesi forma nimis benigna proposita, felici quadam inconsequencia et quasi naturali prudentia ducti, in conclusionibus particularibus generaliter satis aequi et moderati apparent, non est cur Ecclesia contra sistema qua tale directe procedat; imo non repugnat quod ne iudicium quidem definitivum de eo habeat; sed sufficit si unam alteramve doctrinam particularem nimis largam et periculosam reiicit, uti aliquando etiam fecit. Hinc *nego* conclusionem.

*Instant.* 4º Ex tolerantia Ecclesiae saltem sequitur usum simplicis probabilismi esse licitum.

*Resp.* *Dist.* Eo sensu quod *pro foro Ecclesiae* nemo censurandus sit, qui simplici probabilismo adhaeret, *conc.*; eo sensu quod *pro foro conscientiae* quisque licite ei adhaerere possit, *subdist.*: si moraliter sibi persuasam habeat veritatem totius istius systematis, *conc.*,

1) Cfr. Ter Haar, *Innocentii XI de Probabilismo decreti Historia* passim; Wouters, *De Minusprobabilismo*<sup>2</sup> p. 21; Mandonnet, *Le Décret d'Innocent XI*; Jansen, *Geschichte und Kritik im Dienste der Minusprob.* — Non obstante responsa S. Poenitentiariae die 11 Februarii 1661 data vide in Wouters, *De Syst. mor.*<sup>2</sup> p. 40,

secus, *nego*; ut enim alicui licitum sit sistema aliquod sequi, debet illud pro vero habere; secus enim agit saltem cum dubio practico indeque peccat; veritatem autem systematis ex tolerantia Ecclesiae deducere nequit, ut patet ex obiec. antecedenti.

### SCHOLION

#### *Confirmatio totius systematis simul.*

118. — I. Quae supra (*n.* 95) ex operum approbatione deduximus in favorem doctrinae S. Alfonsi in universum, ea non pari, verum *potiori ratione* valent de eius *systemate morali*; quando quidem sistema, ut nemo non videt, totam doctrinam moralem sustinet ac moderatur; ad eius enim normam cuncta fere dubia resolvuntur. Apprime id intellexit S. Rituum Congregatio, quae idcirco rigidissimae disquisitioni, non semel, sed iterato illud subiecit; eo tamen exitu, ut omnium assensum semper acceperit.<sup>1)</sup> Inde sponte consequitur, S. Alfonsi systema ipsius S. Sedis iudicio *sanum, tutum ac probatum esse*. Porro huiusmodi authenticus testimonio caret quodvis aliud sistema.

Insuper, praefatum iudicium, quum agatur, non de peculiari aliqua opinione, sed de *regula morum universalis*, firmissimum argumentum pro illius veritate suppeditat. Si namque S. Doctoris sistema iusto rigidius esset, fidelium obligationes animarumque moderatorum officia iusto rigidius definiret, proinde non foret recta conscientias moderandi norma, ideoque Ecclesia illud *suo iudicio delatum* non approbare debuisse. Approbavit autem, laudavit, commendavitque; unde merito concluditur rectum esse sistema et rectam conscientiae normam.

Conclusionem nostram roborat Responsum S. Poenitentiariae die 19 Dec. 1855, quo declarat moralis disciplinae professorem, qui in quadam Universitate iuramentum, eius professoribus praescriptum, praestitisset pro viribus probabiliorismus tuendi et docendi, posse, non obstante illo iuramento, S. Alfonsi doctrinam in omnibus sequi et publice tradere.

119. — II. Insuper, splendidissima testimonia occasione concessionis tituli Doctoris Ecclesiae a S. Sede S. Alfonsi doctrinae tributa, quaeque supra (*n.* 95) pariter retulimus, *systemati morali* peculiariter convenient. Etenim, si qua moralis tractatio est, qua Alfonsus iansenianos errores dispulit, ea certe est de moderato opinionis probabilis usu, qua sectae illius rigorem directe ac funditus expugnat. Optime id senserant ipsimet adversarii, qui propterea inexpiable bellum illi intulerunt. Iterum, si qua quaestio ante Alfonsum implexa erat, principem sane locum occupat fundamentalis illa de natura et usu probabilitatis, de qua et *laxiores* et *rigidiores* theologi inter se contendebant; Alfonsus autem viam *tutam* stravit. Ergo in *systemate suo morali*, ipsius Apostolicae Sedis iudicio, peculiariter effulget eminens S. Alfonsi doctrina. Quodsi res ita se habeat, quis diffitebitur validissimum inde exsurgere argumentum pro systematis veritate? Quis enim dicere ausit verum non esse sistema quod tantum emolummentum contulit Ecclesiae, tantisque laudibus ab eadem cumulatum est? Ex fructibus, ait Dominus Noster, arborem cognoscimus.

<sup>1)</sup> Cfr. S. C. Rit. 7 Maii 1807. (*Vind.*<sup>2</sup>, I. p. LXXVIII).

§ IV. - CONFUTATIO ALIORUM SYSTEMATUM.

120. — I. **Rigorismus damnatus.** Systema hoc damnatum fuit ab Alexandro VIII prop. 3: «Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.» Propositio haec aperte falsa est: nam, si opinio pro libertate est probabilissima, opinio pro lege erit tenuiter aut dubie tantum probabilis; ob debile autem motivum libertatem iure suo certo spoliare est aperte contra ius naturale. Ergo systema falsum est.

121. — II. **Laxismus damnatus.** Condemnatus est ab Innoc. XI prop. 3: «Generatim dum probabilitate, sive intrinseca sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus»; et ab Alexandro VII, prop. 27: «Si liber sit alicuius iunioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet reiectam esse a Sede Apost. tamquam improbabilem.» Merito et haec doctrina damnata est; vere namque dubia censeri nequit lex tam gravi ratione fundata, ut contra ipsam nulla solida, sed tenuis tantum ratio vel intuta auctoritas afferri possit.

122. — III. **Tutiorismus mitigatus.** Ut talis non diu vixit. Refellitur hac argumentatione: Notabilis probabilitas pro aliqua opinione fundat probabilem eius certitudinem; atqui in actibus humanis sufficere debet certitudo probabilis: ergo. Recole dicta n. 62. II.

123. — IV. **Probabiliorismus.** Istud sistema, praeter obligationes certas, superaddit stricte dubias, sicque, numero obligationum plurimum aucto, auget numerum peccatorum; atqui ex principiis aequiprobabilismi demonstratum est iuri naturali libertatis repugnare obligationes quoad exsistentiam stricte dubias; ergo probabiliorismus libertati debitam denegat iustitiam.

124. — V. **Systema compensationis.** Huic systemati etiam obstat quod imponit obligationem servandi leges stricte dubias, saltem iis in casibus, in quibus earum observantiae nullum obest incommodum relative grave. Argumenta vero a nobis pro libertate allata valent pro *omnibus* casibus, ubi de sola honestate agitur. Insuper norma hoc systemate assignata, difficulter tantum in praxim deduci posse videtur. — Nec dicatur, illicitum esse sese, nisi ob incommodum relative grave, exponere periculo committendi multa peccata materialia. Nam primo, ubi possessio seu praesumptio stat pro libertate, deest periculum peccati materialis moraliter attendendum; dein, tale incommodum in dubio stricto eo ipso habetur, quod secus libertas etiam moralis, quam ipsa lex naturalis homini concessit, in multis casibus plus aequo restringeretur. Cfr. Wouters. *l. c.* p. 18, Marc. n. 86. 6º.

125. — VI. **Probabilismus absolutus.** Huic systemati quatuor vitio vertimus. Etenim: 1º limites probabilitatis plus aequo extendit aut saltem non satis determinat, ita ut norma nimis vaga et ambigua habeatur, quae facile ansam dare potest opinionibus iusto benignioribus.

2º Multi probabilistae nituntur principio: « Qui probabiliter agit, prudenter agit, » ut cuique legenti eorum opera patebit; licitum enim usum opinionis probabilis pro libertate, reicta probabiliori pro lege, hoc ratiocinio probare consueverunt: In re morali nihil aliud requiritur, quam prudentia in operando; atqui, quando utrimque stat opinio probabilis, adest utrimque prudens motivum assentiendi; ergo sequendo opinionem, quam maluerit, quisque prudenter operatur. Maior conceditur; sed neganda est minor; quando namque utrimque stat opinio probabilis, a neutra parte adest prudens motivum assentiendi, sed soli dubitationi est locus, prout demonstravimus n. 92. Vitium ergo illius principii in eo est, quod ad ultimum conscientiae dictamen de actionis honestate formandum nitatur probabilitate aequilibrata, proinde *dubio positivo*, tamquam *motivo*, non autem tamquam *mera conditione*, qua posita aliunde principium reflexum certum adsciscitur ad certam formandam conscientiam. Recole n. 92<sup>bis</sup>. qu. 2.

Falsum principium ad falsas conducit conclusiones; inde factum est ut eximii quoque theologi errorem illum admiserint, quem Ecclesia postea damnavit, nempe licere in Sacramentorum susceptione uti opinione minus probabili, reicta probabiliori ac tuta, non obstante irritandi Sacramenti periculo; ita e. g. Lugo. *De Sacram. in gen. disp.* 8. n. 139. 141, Sanchez. *Decal. lib. 1. cap. 9. n. 33*, Vasquez. *in 1. 2. qu. 19. art. 6. disp. 63. cap. 2 et 3*. Alii contendunt, stante ab utraque parte opinione probabili, posse iudicem sententiam ferre pro parte quam maluerit, et idcirco ab una parte pecuniam accipere; alii rursus, iudicem posse iudicare secundum opinionem minus probabilem<sup>1</sup>); quas sententias Ecclesia quoque damnavit. (n. 64. 68. 79. H. A. n. 42.)

3º Usus probabilitatis principio possessionis non temperat. Etenim, primarium probabilistarum principium: « Qui probabiliter agit, prudenter agit, » obstat quominus principium possessionis applicent ad dubia positiva, ut liquet ex dictis; propterea illud ad sola dubia negativa restrinxerunt. Sed hoc principium aequa valet pro dubiis positivis ac pro negativis; cum dubia positiva, non minus quam negativa, sint dubia *stricta*, ut probavimus n. 92; quinimo pro illis potissimum valet, nam propriis terminis sonat: « In pari causa potior est conditio possidentis, » prout legitur in antiqua Regula Iuris 65. in 6, et in Regula Iuris Romani 128: « In pari causa possessor potior haberi debet. » Ergo mitiores illi probabilistae ius possessionis legis violant et libertati plus aequo indulgent.

4º Argumentum, quo utuntur simplices probabilistae, cum in maiori tum in minori, aequivocatione laborat. Dicunt enim: « lex dubia non obligat; atqui, lex est dubia, quotiescumque stat pro libertate opinio vere probabilis, etiamsi forsan opinio favens legi pariter probabilis est vel *etiam probabilior*. » Ut a minori incipiamus, vox *probabilior* est ambigua. Potest enim significare: paulo vel dubie probabilior, et tunc practice aequivalet aequiprobabili vel dubio stricto; potest etiam significare: certo vel notabiliter probabilior; et tunc versamur extra strictum dubium et habemus certitudinem sufficientem de exsistentia legis, prout supra probavimus. — Pari modo maior laborat aequivocatione: *lex dubia non obligat* potest significare: lex dubia etiam lato sensu, ita ut lex sit certo et notabiliter probabilior, vel potest limitari ad dubium stricto sensu. In priori sensu est omnino falsum, uti diximus et supra probavimus. Si autem

<sup>1)</sup> Cfr. Lugo. *De iustit. disp. 37. sent. 10.*

limitatur ad dubium stricto sensu adhuc duplicem sensum admittit. Potest significare: lex (stricte) dubia *qua talis directe et per se* non valet obligare ad eam observandam, et sic est principium omnino verum et per se stans; inde tamen homo nondum omnino a lege liberatus exsistit; quia est in dubio practico, quod nonnisi legitimo aliquo principio reflexo in favorem libertatis solvere licet. Vel potest significare: lex (stricte) dubia eodem modo ac lex penitus incognita hominem omnino liberum relinquunt; et sic assumitur tamquam principium reflexum ad solvenda dubia practica in favorem libertatis. Et si sic sumitur universim, ita ut dubio tam de existentia quam de cessatione legis applicetur, gratis asseritur, vel aequivocando afferuntur ea argumenta quae effatum probant in sensu priori sumptum. Verum autem est, si limitatur ad dubium (strictum) de *existentia* legis. Etenim, dubium practicum quod in casu habetur, solvi nequit nisi solo principio possessionis seu *praeumptionis*; hoc autem applicato solum dubium de *existentia* legis in favorem libertatis solvit, prout supra probavimus.

### SCHOLION

#### *Circa usum opinionum probabilium a parte confessarii.*

126. — Hucusque probavimus licitum esse usum moderatum opinionis probabilis. Ultra iam hic quaeritur, num etiam expedit pro salute animarum opiniones benignas potius quam rigidas sequi. Quocirca sequentes traduntur regulae.

Regulae. I. *Quoad obligationem imponendam.* 1º Regulariter debet confessarius opiniones benignas sequi; quia communiter liberant poenitentes a peccato formaliter. — 2º Interdum vero opiniones benignae creant periculum peccati formalis, et tunc tenetur confessarius, tamquam *medicus* animarum, opiniones tutiores sequi, quae poenitentes ad se servandos in statu gratiae conducunt. Quoad modum tamen hanc servet distinctionem: ubi probabile seu proximum periculum peccati mortalis *dubie* tantum subest, debet opiniones tutiores *suadere*: ubi vero tale periculum *certo* subest, tenetur ad illas sequendas *obligare*. (Cfr. vol. II. n. 449 q. 3.)

Huiusmodi porro sunt nonnullae opiniones speculative probables, sed in praxi periculosae, in materia sexti praecepti de tactibus, osculis, choreis, comoediis, de reprimendis motibus carnalibus, de vitandis occasionibus proximis, lectinibus periculosis quoad fidem et mores, et similibus. (n. 83; Lib. 5. n. 63; Lib. 6. n. 456 in fine et n. 605; Prax. Conf. n. 69. 114. 192; H. A. Append. IV. n. 21.)

II. *Quoad perfectionem.* Perfectius sane est inter opiniones sequi tutiores, ubicumque continent actus maioris virtutis, nec ansam praebent anxietatibus et scrupulis. Hinc, generatim loquendo, debemus usum huiusmodi opinionum tutiorum suadere, sicut consiliorum, dum poenitentes paratos se ostendunt ad sequenda tutiora, et prudentia dictat id poenitentibus profuturum. (Lib. 6. n. 605.)

